ſi.m conſpiratione nobilium, decimas ſolvere renuentium: ſed Regis maximè pii auctoritate atque ſtudio quamprimùm turbæ illæ evanuerunt. Res geſta ita deſcribitur à Longino Cracovienſi Canonico, ſub hoc anno: Catholicæ religionis fidem cultumque Sathanæ invidiæ malignitas in Poloniæ regno, & vicinis regionibus videns in brevis temporis ſpatio, primò quidem ſub Miezlao Duce, deinde ſub Boleslao primo Polonorum Rege, vehementer germinaſſe, & funiculos tentorii ſui latiſſima propagine diffudiſſe; turbinem, & procellam eodem in regno excivit, & res fidei extinguere, & quietem ſtabilitatemque civilem niſus eſt perturbare. Nonnulli ſiquidem nobiles Poloniæ, Sathana ſuggerente, ob oneroſam decimarum manipularium ſolutionem, oneroſos Chriſtianos ritus dicentes, hi præſertim, qui in ſpurcitiis genitalibus enutriti, jugum orthodoxum non facilè tolerabant, ad ritus redire profanos, & vetuſtam ſacrilegamque vitam reſumere, & decimas non reddere tempore inſtituto, nec Eccleſias frequentare, miniſtroſque & ſacerdotes de eorum Eccleſiis pellere, frequenti conſpiratione diſponebant. Id cùm ad Boleſlai Poloniæ Regis aures perductum eſſet, non tulit fideliſſimus fidei Catholicæ propugnator gliſcentem conſpirationem conſurgere, ſed in ipſo ſuo ortu illam mox extinxit. Auctores enim illius, miſſis militibus, comprehendit, & capita conſpirationis partim capitali ſupplicio extinxit, partim verberibus multavit: cæteris minùs reis, & ſola contagione fœdatis, aliorumque ſuaſionem ſecutis, parcendum decrevit. *Ioan. Longinus Canon. Cracovienſ. apud Baron. tom.*11. *circa an.*1022. 17.

AMBITIONE, ET MALO CONSILIO FIDES CATHOLICA E SAXONIA EXULAT.

Superiori exemplo ſimile accedit, idque recentius, de Joanne Friderico Saxoniæ Duce. Hic (ut à fide dignis accepi) miro deſiderio tenebatur familiam Auſtriacam Imperatoria dignitate ſpoliandi, quòd ſenſim videretur quaſi hæreditario jure poſſideri. Quod ſuum deſiderium cùm vocato ad ſe Martino Luthero communicaſſet, auctor fuit Duci religionem ut mutaret, ſi imperium mutatum vellet. Accepto & approbato hoc conſilio, Lutherum ſibi adjunxit conceptæ nequitiæ aptiſſimum inſtrumentum, ejuſque impiam ſectam aluit, errores fovit, fidem Catholicam in ſua ditione evertit; neque his contentus, jure humano poſthabito, in Carolum quintum Imperatorem, ac dominum ſuum arma ſumpſit, &, ut Germania exturbaret, omnes machinas admovit. Sed inſanum hoc conſilium, ſtultamque prudentiæ humanæ rationem illuſit eventus. Nam profligatis copiis, victus captuſque & dominatu & Electoris poteſtate privatus eſt: quam in Mauritium Ducem, Joannis Friderici patruelem, ejuſque familiam, Imperator tranſtulit, in qua in præſens uſque tempus perſeverat. *P. Ribadeneira lib. de Princ. Chriſt.*

PRINCIPUM CUM HÆRETICIS ET INFIDELIBUS CONFOEDERATIO GALLIÆ PERICULOSA.

FRANCISCUS I. & HENRICUS II. ejus filius, Galliæ Reges, quamvis Chriſtiani & Catholici Principes, cùm atrox ac funeſtum bellum adversùs Carolum quintum Hiſpaniarum Regem gererent, humana potiùs quàm divina providentia in conſilium vocata; ille Turca fœdere ſibi adjuncto, inſtructiſſima perfidi hoſtis claſſe, maritimas oras Carolo parentes excurſionibus infeſtavit; hic admiſſos in belli ſocietatem Germanos Principes, quos Proteſtantes vocant, in eundem conatu & animis armavit, ut etiam Galli hiſtorici ſcriptis prodiderunt. Verùm qui ex ejus generis fœderibus fructus? Nullus, præter dedecus & publicam offenſionem. Nam Turcica claſſis, exiguo admodùm detrimento rebus Caroli illato, tractum Galliæ circa Tolonis Martii portum, in quo in hybernis egit, indignis modis igni ferroque populata eſt, vireſque & portus Gallorum exploravit, ut incidente occaſione Gallias ſecuriùs aggrediatur. Principes verò Germaniæ hæreſi infecti, qui per ſummum nefas defecerant, bonis multati, & pluribus incommodis affecti, manus Imperatoris ſui victrices vindiceſque ſenſerunt. Atque ob ejuſmodi pactiones, & injuſta cum Eccleſiæ hoſtibus fœdera, aliaque noſtra maleficia, quibus Numinis iram provocavimus, permiſit Deus nobiliſſimum, potentiſſimum, ac Chriſtianiſſimum regnum adeò miſerè affligi, & veluti infernis ignibus conflagrare, ut nec piorum precibus, nec lacrymis comprimi, nec in tot tamque crudelibus bellis effuſi ſanguinis rivus in hanc diem reſtingui potuerit. *Ibid.*

GLORIÆ CUPIDITAS.

De Novato cum ſuis ab Eccleſia alienato ſcribit Nicephorus in hæc verba: Romæ autem, inquit, eis temporibus (Valeriani ſcilicet & Galieni Imperatorum) presbyter erat Novatus nomine. Is faſtu & jactantia inani ſublatus, omnem (ut eſt in proverbio) moverat lapidem, ut Romanæ Eccleſiæ gubernationem conſequeretur. Ubi autem omnia expertus nihil egit (erat enim tumore, ambitione, & gloriæ cupiditate immenſa correptus) in deſperationem incidit; & tandem aliud quod faceret non habens, ab Eccleſia ſeipſum ſegregans, proprios cœtus cogere, & novam quandam hæreſim per defectionem inſtituere cœpit; ſeceſſionis ſuæ obtentum illum prætexens, quòd Epiſcopi eos, qui Deciana perſecutione diis ſacrificaſſent, per condignam pœnitentiam in gratiam recepiſſent. *Niceph. lib.6. hiſt. cap.*3. *Euſeb. Cæſ. lib.*6. *c.*38.

EXEMPLA IMPIA.

Circa annum Domini 1124. ſub Henrico V. hujus nominis Cæſare Germano, & Calliſto ſecundo Romanorum Pontifice, emerſit Tandemus, ſive (ut alii volunt) Tanchelinus, hæreticus in Germania. Hic, ut ait Sigebertus, cùm laicus eſſet, non minimæ tamen ſubtilitatis erat; ſed multis etiam diſertis clericis in ſermone acutior, adeò quidem, ut eos ſuperare omni in re videretur. In pretioſo habitu & veſtibus deauratis incedens, triplici funiculo crinibus intortis, verbis perſuaſibilibus & conviviorum apparatibus eos, qui illum circiter tria millia armati ſequebantur, alliciebat, & per eos in ſibi reſiſtentes cædibus ſæviebat. Qui ei in tantum credebant, eumque adeò reverebantur, ut aquam, in qua corpus laviſſet, biberent, & pro reliquiis adſportarent: qui tamen cùm tantæ impietatis eſſet, ut filias in matrum præſentia, ſponſaſque maritis intuentibus corrumperet, id opus eſſe ſpirituale aſſerens. Ab hoc itaque præſtigiatore oppidani caſtri Antverpienſis ſeducti, paulatim à fide & bonis moribus deſciverunt: donec Capitulum S. Michaelis, inibi paulò ante à *Godefrido Bullonio* fundatum, *Norbertum* è Germania evocavit, qui prædicatione ſua, brevi tempore inductas errorum nebulas diſſipavit. *Sig. in Chron. an.*1124. *Hug. in vit. S. Norb. cap.*34.

Procopius Thaboritarum in Bohemia hæreticorum Dux fuit, Bohemorumque ad Concilium Baſileenſe legatus, in ſpiritualibus Thaboritarum rector & patronus, Sigiſmundi Imperatoris Germani, & Joannis XXIII. Papæ temporibus, circa annum Domini 1411. Cumque is multis victoriis & magnis ſceleribus nobilitatus eſſet, evenit tandem, ut eam ob cauſam de eo fama increbreſceret, atque divulgaretur, in omniumque ore, ut vir omni impietate inſignis, haberetur; adeò quidem ut cum Bohemorum legatus Baſileam intraret, velut in illum, qui toties fidelium fudiſſet exercitum, qui tot oppida ſubruiſſet, qui tot denique hominum millia neci dediſſet, omnium oculi conjicerentur. Hic tandem cùm à Concilio recedere ſtatuiſſet, infecta re, pro qua cum ſuis Bohemis illuc venerat; in omnium Patrum præſentia pro iiſdem Bohemis ibidem exiſtentibus, contumaciter & ſuperbè locutus eſt in hunc modum: Communionem calicis habere & tenere pro laicis intendimus, &c. *Gab. Prateolus de Hæreſ. lib.*14.

Quid de Britannia, quam nunc Angliam appellamus? Gildas ſcriptor perantiquus & veritatis amantiſſimus, teſtatur, per id tempus, quo Britanni Anglos, ut ſibi contra Pictones ac Scotos eſſent auxilio, adſciverunt, eam totam inſulam hæreſi Pelagiana corruptam fuiſſe, hujuſque impietatis vindicandæ gratia permiſiſſe Deum, ut Angli in eos ipſos arma converterent, quibus auxilio venerant, devictoſque ex inſula pellerent, quam poſtea de ſuo nomine Angliam appellaverunt. Tantùm porrò decurſu temporis ibi creverat errorum colluvies, ut, quo tempore S. Gregorius Pontifex Auguſtinum cum aliquot Monachis ſociis in Angliam ad propagandam fidem deſtinaſſet, inventis novem hæreticis Epiſcopis, nullus Catholicus reperiretur. *Pet. Ribaden. lib.*1. *de Princ. Chriſt. cap.*29.

LIBIDO ET AMBITIO.

Quid? quòd florentiſſimum illud regnum magnæ Britanniæ, tot ſæculis Apoſtolicæ ſedi tributarium, cujus teſtem habemus Polydorum Virgilium, ſacri illius vectigalis aliquando collectorem; & præ aliis Chriſtiani orbis Catholicum & religioſiſſimum, modò ſupra omnia reliqua eidem ſedi & fidei adverſarium, omniſque impietatis ſeminarium effecit effrenata Henrici Octavi, qui & ipſe priùs religioſiſſimus Princeps, fideique Romanæ adversùs Lutherum defenſor extitit, libido inceſtuoſas nuptias cum Anna Bolena ineundi, repudiata caſtiſſima ſua conjuge Catharina. Cum enim huic improbitati ſuffragium denegat Rom. Pontifex, & ipſe nihilominùs in ſententia perſtaret, venundatus jam ſub peccato, ut faceret malum, ab illius obedientia ſe & ſubditos etiam in ſpiritualibus ſubduxit, coactaque Synodo, Primatum Eccleſiæ in Regno ſuo ſibi vendicavit, ſublatis è medio tanquam perduellibus, qui refragarentur. Quo factum, ut ociùs avitæ religionis ſplendor, & pietatis ardor, obducta libertatis & errorum nube velatus, omnem pepererit improbitatem, ac Catholicam religionem funditùs penè extirpaverit, trucidatis illius aſſertoribus, aut per impia edicta profligatis, ſic ut vix pauci in ſemen relicti ſuperſint. Cujus*quidem calamitatis exordium datum fuit circa annum Dom. 1535. neque adhuc ſpes affulget, ut aliquando ſuæ integritati hìc Fides reſtituatur, pullulantibus in dies novis opinionum monſtris, quæ ſementem in agro Dominico opprimen; & inimico homine in medio tritici zizania ſua ſuperſeminante.

ARROGANTIA, ET CUPIDITAS.

Cum M. Lutherus magna ingenii ſui oſtentatione, maximaque verborum jactantia ſuum novæ doctrinæ genus jactitaret, contigit, Leonem Romanum Pontificem templi Romæ D. Petro à Julio ſecundo inchoati, tandem abſolvendi, aut (uti ait Tilius) Turcici belli cauſa indulgentias atque peccatorum condonationes, ſive pœnarum relaxationes elargiri: quas Archiepiſcopo Moguntino per Germaniam credidit diſtribuendas. Has Auguſtiniani commendatas ſolebant populo proponere. Verùm Moguntinus hoc tempore illas ad Dominicanos tranſtulit divulgandas, unde ſimultas inter illorum Mendicantium Ordines haud ſanè levis exorta fuit. Lutherus, ut erat ingenio acri, ubi quæſtum ad ſe ſuoſque redire ſolitum aliò cum animi dolore, reique culinariæ detrimento, videret tranſlatum, cùm non valeret eripere, ſtuduit ſaltem impedire, aliiſque optatam illam prædam imminuere, ut ſi totam non excuteret, ſaltem majori ex parte everteret. Publicè igitur in indulgentiarum vim atque efficaciam eſt inter concionandum magna cum animi contentione invectus. Huic turbæ frigidam ſuffundebat Stanpetius Auguſtinianorum Provincialis, vehementer illis obtrectans, earumque vim extenuans: contra Tetzelius Dominicanus ſua pro authoritate illas propugnabat. Mutuis ergo contrariiſque aſſertionibus populo Saxoniæ dubitandi anſam præbuere, opinionibus per contentionum ſtudia in pejus declinantibus: cum Lutherus initio indulgentiarum potiùs abuſum, quàm legitimum earum uſum, quem ante laudaverat, fuerit inſectatus: quòd & ipſe cum ſuis earum promulgationem maximoperè ob ſperatum ſoliti jam quæſtus lucrum, multò ſanè maximum, captarat. Hac inter ipſos igitur oborta cum infirmorum ſcandalo contentione de indulgentiarum viribus atque efficacia, Eccleſiæ pax atque fidei unitas dolendum in modum cum certa plurimorum Chriſtianorum pernicie fuit per has inſectationes divulſa atque interturbata. *Gab. Prateol. lib.*19. *Elenchi hæreſum. an.*1316.

LIBERTAS, ET QUIDVIS AGENDI LIBIDO.

Quid cauſæ exiſtimamus, cur Belgium, poſt Germaniam & Galliam, non ita pridem in tot tantoſque errores delapſum fuerit, & ſuperſtitem Avorum pietatem ac religionem funditùs extirpare laboraverit, quàm quòd factioſi aliquot, tam ex nobilitate media, quàm ex infima plebe, fulti præſidio potentiorum, ſumpta conſcientiæ, diſſolutionis, & libertatis Chriſtianæ larva, primùm ſui Principis jugum, quod abſque jugo erat, excutere aggreſſi, deinde & in Deum, ejuſque Religionem, templa, aras, ritus, ſacerdotes, impii, per ſummum ſcelus varias civitates & Provincias ſuæ poteſtatis fecerunt, in quibus pro libidine in Deum & Regem ſuum perfidi adhuc hodie perſtant, & in tot religionum formas abeunt, ut numerum vix invenias? Atque ſub Reformationis Eccleſiaſticæ prætextu, Chriſti Eccleſiam non tantùm apud ſuos, ſed paſſim & apud alios, aſtu & armis peſſundare, ac labefactare moliuntur, imitati veteres Ethnicos, qui ob id Chriſtianam religionem inſectati pertinaciùs, quòd præter unum Deum alios non compateretur: ſic & iſti Catholicæ Eccleſiæ crudeliùs inſidiantur, quòd ea nullos Judæos, Mahometanos, hæreticos, aut alios infideles intra ſe admittat, ſceleribus omnibus frænum ponat, ſubjectionem erga legitimos Principes doceat, ab alienis occupata Regna ſuis dominis reſtituenda ſuadeat & impellat. Quæ omnia unà cum pietate apud illos exulant, & pro paradoxis habentur, ut quibus nihil prius potiuſque, quàm omnes Religionum fæces excipere & amplecti, dummodò veræ Religionis ſectatores & defenſores perſequi ſtudeant: Jura omnia pedibus conterere, quæ illorum injuſtitiam condemnãt: cædibus, rapinis, bonorum oppreſſioni, ſubditorum rebellioni, patentibus portis viam ſternere, & in cœlum cum Gigantibus, quantum in ſe eſt, impietatis ſuæ moles projicere. Donec Deo, qui patiens eſt redditor, aliter viſum, ut ad gremium, unde exciderunt, reſumpta priore charitate, accepturi ſtolam primam revertantur.

☞ *Vide locum de hæreſi, & Hæreticis ſub finem.*

*CHRISTIANÆ FIDEI FORMULA XII. ARTICULIS DISTINCTA. SIVE SYMBOLUM APOSTOLORUM.

Ea Fidei Chriſtianæ dogmata, quæ Chriſtianis omnibus ſcitu neceſſaria, & expreſſè credenda ſunt, per XII. velut articulos diſtincta, jam à naſcentis Eccleſiæ exordio circumferuntur hæc.

1. Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ.
2. Et in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum Dominum noſtrum.
3. Qui conceptus eſt de Spiritu Santo, natus ex Maria Virgine.
4. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.
5. Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis.
6. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.
7. Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.
8. Credo in Spiritum ſanctum.
9. Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem.
10. Remiſſionem peccatorum.
11. Carnis reſurrectionem.
12. Et vitam æternam Amen.

Eſt autem fidei articulus, propoſitio Catholica principii rationem in fide obtinens, & ſpecialem inevidentiam ac difficultatem continens, Chriſtianis omnibus ad explicitè credendum expoſita; quam quidem articulum dicimus, ſumpta ſimilitudine ab articulis membrorum in corpore, quibus illa diſtinguuntur & uniuntur, ut unum corpus conſtituant.

CUR SYMBOLUM VOCETUR.

Contracta hæc in XII. articulos Fidei profeſſio, aptè Symboli nomen accepit, quia per hanc jam ab initio, velut per idoneam teſſeram, veri Chriſtiani à falſis & pſeudo Apoſtolis ſemper diſtincti fuere; ideòque SS. Patres tanta ſedulitate hanc formulam ab omnibus ediſci & recitari laborabant, ne ulli ſuæ fidei apta teſſera deeſſet; velut enim in caſtris certum eſt ſymbolum, per quod ab hoſtibus diſcernuntur, qui in iiſdem militant: ita in caſtris Eccleſiæ, quæ eſt velut acies ordinata caſtrorum, formula hæc ſymboli rationem obtinet, quo veri filii ab adulterinis ſecernuntur.

Niſi Symbolum vocemus, ſumpta metaphora à ſymbolis illorum, qui in eodem hoſpitio cœnant, & ſumptus in commune conferunt. Ad quem modum fideles ad magnam cœnam, quam Deus præparavit in Eccleſia ſua, vocati, hanc formulam ceu ſymbolum conferunt, quo ſe ex numero evocatorum doceant.

AN PLURA FIDEI SYMBOLA AB ECCLESIA RECEPTA.

Præter illud commune, tria inſuper alia in Eccleſia recepta ſunt. Nicænum ſub Conſtantino Magno, contra Arrianos, ab ipſo Nicæno Concilio editum, ejuſdem cum Concilio auctoritatis.

Conſtantinopolitanum à Concilio II. Oecumenico tempore Theodoſii Imp. adversùs Macedonium coacto editum. Eoque nunc in Miſſa Eccleſia utitur, adjecta ſolùm particula (Filioque) claritatis gratia; atque illud Symbolum Leo III. Pont. tabulæ argenteæ inciſum, poſt S. Pauli corpus in altari poſuit, teſte *Mag. Sententiar. lib.*1. *diſt.*11.

Tertium eſt Athanaſii, quod legitur in horis Canonicis, & continet pleniùs ac magis explicitè, quod priora includunt implicitè, ut pulchrè *Vincentius Lyrinenſis c.*32.

COMMUNIS SYMBOLI PER XII. ARTICULOS DISTINCTI, AUCTORES.

Quamvis tria jam memorata Symbola, Apoſtolica meritò vocari debeant, ex quo doctrinam continent ab Apoſtolis traditam: attamen propriè Symbolum dicitur Apoſtolorum, quod communiter per XII. articulos diſtinctum, in Eccleſia proponitur. Hoc nãque ab Apoſtolis, traditæ ſibi à Chriſto fidei præconibus, priuſquã per orbem univerſum prædicaturi ab invicem digrederentur, ut omnium una eſſet fidei & Religionis confeſſio, ac communis regula profeſſionis conceptum vulgatumque fuit, ut ita velut proprium ſymbolum ac militarem teſſeram circumferrent adversùs quoſcunque infideles, ii qui diſcipulorum Chriſti numero, ac fidelium catalogo aſſociarentur, eoque ab aliis omnibus evidenti nota ſecernerentur. Hinc *B. Ambr. epiſt.* 81. *ſer.*38. ait: Duodecim Apoſtolorum ſymbolo fides ſancta concepta eſt, &c. *& D. Leo ep.*13. *ad Pulcheriam*: Ipſius Catholi-

A tholici ſymboli brevis & perfecta confeſſio, duodecim Apoſtolorum totidem eſt conſignata ſententiis, tanquam inſtructa ſit munitione cœleſti, ut omnes hæreticorum opiniones ſolo ipſius gladio poſſint detruncari. Similia habet *Tertul.lib. de Præſcript.* Irenæus *l.1.cont. hereſ. c.2. & 3. Aug. ſer.181. de temp.* & alii paſſim. Idem etiam docent noſtri ſæculi novatores hæretici, dum hanc fidei regulam Symbolum dicunt Apoſtolorum, etiamſi id clarè in Scriptura non exprimatur, cui tamen, eique ſoli, ſe adhærere in fidei rebus profitentur.

Quin imò Ambroſius ſupra, hoc Symbolum clavem appellat ab Apoſtolis conflatam. Atque omnibus illis antiquior Irenæus, hujus ſymboli articulos recenſet tanquam ab Apoſtolis editos quod & ante illum teſtatur *Clemens ep.1. ad Iacob.* Et *Innocentius III.* Pp. nomina Apoſtolorum ſingulis hujus ſymboli articulis adjicit, *lib.2. de Myſteriis Miſſ. c.42.* paulò aliter *Auguſt. ſer.115. de temp.* Sic ut mirum ſit, in tanta veterum luce Eraſmum voluiſſe hallucinari; & Brentium refragari, malitioſum & imperitum haberi debeat.

EJUS AUCTORITAS, ET FINIS.

Quamvis hoc ſymbolum vivæ vocis miniſterio tradiderint B Apoſtoli, paris nihilominùs cum Scriptura auctoritatis cenſetur; ſcimus enim, articulos illos Fidei in eo ab Apoſtolis relatos; adeòque verbum Dei non ſcriptum continere.

Finis autem illius potiſſimùm eſt, docere unum Deum in Trinitate, eique tres illius partes reſpondent, & tribus in Deitate perſonis accommodantur. Primus quidem Patri, ſex reliqui Filio: & quinque alii deinde Spiritui S.

Symbolum hoc verbum fidei abbreviatum continere, quod olim Iſajas prædixit, veteres paſſim tradunt. Eſt enim, ait S. Aug. comprehenſio fidei noſtræ brevis, ſimplex, plena. Simplex, ut conſulat audientium ruſticitati; brevitas conducit memoriæ; plenitudo doctrinæ. Sanè quidquid in Patriarchis figuratum, quidquid denuntiatum in Scripturis, quidquid prædictum in Prophetis, id omne brevi compendio *Symbolum* tradit *Aug. ſer.115. de temp.*

EJUS VIRTUS, ET ENERGIA.

Egregium igitur adversùs omnes hæreſes munimentum *Symbolum* hoc proponit, quod facilè per omnes illius articulos diſcurrenti innoteſcet, nempè quis cui errori opponatur, eumque convellat. Siquidem Primus articulus unum Deum C nobis credendum docet. Et hoc contrà Gentiles, plures Deos ponentes: contra Manichæos, ſtatuentes duo principia, unum à quo bona, alterum à quo omnia mala. Contra Anthropomorphitas, ponentes unum Deum, ſed corporeum. Denique contra Epicureos, tollentes Dei providentiam circa res humanas. Eodem articulo profitemur Deum omnipotentem, quòd ſcilicet omnia quæ vult faciat, & non tantùm ea quæ naturaliter fieri poſſunt, ut nonnulli Gentilium dixerunt. Nec ob aliud docet Aug. *in Enchir. c.96.* dicitur Deus omnipotens, niſi quia quidquid vult poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis illius impeditur effectus. Poſtremùm eundem Deum creatorem cœli & terræ credimus, adversùs portenta illa fictionum de prima rerum origine. Epicurus & Democritus caſu fortuito mundi congeriem compactam: Plato & alii naturales, ex materia præjacente conditam, eamque Deo coæternam Stoici; Simon magus à duabus virtutibus æternis facta omnia aſſeruit, quorum commenta hoc articulo reſecantur: uti etiam illud de mundi æternitate.

Secundus & Tertius articulus Filii Dei profeſſionem continet, ejuſque incarnationem proponit de Spiritu S. & nativitatem D ex Maria Virg. & ita refutatur error dicentium, Chriſtum fuiſſe purum hominem, & à Maria ſumpſiſſe exordium, prout Carpocrates, Cerinthus, & alii aſſeruerunt. Item error Manichæorum Chriſto corpus fantaſticum, & Valentinianorum, cœleſte eidem corpus affingentium. Tertiò Apollinaris, qui aliquid Verbi in carnem mutatum, non verò carnem de Maria Virgine aſſumptam dixit. 4. Arrii, qui Verbum in Chriſto in locum animæ poſuit. 5. Euticis, qui unam in Chriſto naturam ex humanitate & divinitate compoſitam: & Monotelitarum, qui unicam in eo operationem & ſcientiam dumtaxat agnoſcebant. 6. Convincuntur Neſtoriani, unicam Chriſti perſonam negantes: Carpocratiani, ex ſola Virg. Maria natum non eſſe affirmantes, ſed inſuper ex Joſeph.

IV. Articulus paſſionem & mortem Chriſti ſtatuit adversùs Manichæos: qui ut corpus illius fantaſticum, ita & paſſionem fantaſticam docuere. Inſuper adversùs Galanum, qui in Chriſto poſuit immortalem & incorpoream naturam.

V. Art. reſurrectionem Chriſti contra Corinthium, & Origenem, quorum ille reſurrexiſſe negat, hic denuò paſſurum affirmat, tradit: ejuſque ad inferos deſcenſum proponit adversùs E Anabaptiſtas, qui docent, hunc deſcenſum idem eſſe quod interitum, adeòque Chriſtum ſecundùm animam etiam interiiſſe: Item contra illos, qui hunc deſcenſum interpretantur ſepulturam: & cum Calvino paſſionem pœnarum Infernalium, quas vult Chriſto eſſe communes.

VI. Art. Seleuciani convelluntur, qui negant, Chriſtum in carne ad patris ſui dexteram ſedere, ſed eam exuiſſe.

VII. Art. Confundit illos, de quibus dicit Apoſtolorum Princeps, *Venient in noviſſimis diebus in deceptione illuſores juxta proprias concupiſcentias ambulantes, dicentes: Vbi eſt promiſſio, aut adventus ejus?*

VIII. Spiritus ſancti aſtruit divinitatem contra Macedonium, aſſerentem, Spiritum S. eſſe creaturam. Item Græcos, qui nolunt eum procedere à filio.

IX. Sanctam Eccleſiam Catholicam, & Sanctorum Communionem opponit omnibus omnium ætatum hæreticis, qui volunt, Eccleſiam apud ſe eſſe: cum tamen Catholici, id eſt, omnium temporum & locorum, quod nomen Catholici importat, non ſint; ſed ſubindè una tenebrarum nocte inſtar fungorum nati, opinionibus diſſecti, mox intereuntes, & in uno aliquo terræ angulo deliteſcentes: Unde nec Eccleſiam, nec eam F ſanctam conſtituere poſſunt. Deinde poſterius hujus articuli membrum docet, eſſe mutuam omnium, qui ſunt in Eccleſia, ſocietatem & unionem, ac omnium officiorum mutuam communicationem; in qua fundantur contra Novatores, orationes virorum pro defunctis, & beatorum cum Chriſto regnantium preces pro viventibus.

X. Art. In Chriſti Eccleſia omnem peccati reatum dimitti docet, quod eſt contra hæreticos noſtri temporis, qui ut generaliter credunt omnibus fidelibus promiſſam ſalutem, item hanc promiſſionem ſibi particulariter applicant, confidendo ſibi per Chriſtum eſſe remiſſa peccata; operaque omnia pœnalia & ſatisfactoria inutilia cenſent.

XI. Carnis reſurrectionem generalem docet, quam Valentinus negavit, & cum eo plures hæretici: quorum nonnulli particularem dumtaxat, eorum videlicet qui cum Chriſto ſurrexerant, agnoſcebant, ut Himeneus & Philetus: Cerinthus verò poſt reſurrectionem mille annos in terreno regno futuros commentus eſt. Corpora verò noſtra in reſurrectione aeri vel vento ſimilia, poſuit Euticius, & ſpiritualia. Aut ſi terrena eadem dixerint, non tamen ejuſdem ſubſtantiæ, uti priùs, volunt G plerique; quos omnes univerſim præſens Articulus condemnat.

Poſtremus Articulus æternæ vitæ promiſſione Symbolum terminat, eoque inſtruimur adversùs Arabem & Zenonem, contendentes interitum animæ eundem cum corpore: Item Origenem, qui poſuit, homines beatos, & Angelos, poſſe excidere à gloria, & deduci ad malum, per quod damnentur: Eſtque contra Calvinum, qui negat, animas piorum ſtatim à morte corporis videre Deum, aut vitæ æternæ fieri hæredes; ſed expectare in atrio, quod meritò *Calviniſtarum Purgatorium* appellaveris, diem univerſalis judicii; cum tamen dicat Apoſtolus, *Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, ſed æternam in cœlis.*

EXEMPLA HISTORICA.

Hanc armaturam Spyridion Epiſcopus adhibuit, de quo narrat hiſtoria Eccleſiaſtica, quòd cum in Concilio primo poſt illud Jeroſolymitanum Apoſtolorum tempore celebratum, Nicææ in Bythinia coacto, quidam verboſus Sophiſta ſuis eum cavillationibus impeteret: ille recitato fidei Chriſtianæ ſymbo- H lo, argumenta ipſius eluſit. Eoque audito, Sophiſta obmutuit, rogantique Spyridioni, num iis quæ hic continebantur, crederet? reſpondit: Credo: & ad ſocios oculos vultumque convertens: Quamdiu, inquiebat, verbis res agebatur, verba oppoſui: at poſtquam cum verbis, vis quædam ex ore hujus ſenis erupit, nihil ultra valuere adversùs illum verba. *Niceph. lib.8. cap.15. Sozom. lib.2. c.3.*

De B. Petro ex Ordine S. Dominici religioſo, & illuſtri Chriſti martyre, narrat Surius, quòd contra parentum & amicorum voluntatem, adhuc per ſymbolum Apoſtolorum didicerit, eòque pectus adversùs tyrannorum truculentiam armarit, ut etiam inter trucidantium gladios jam adultus illud recitaverit. *Surius in vita Tom.2.*

Refert de Clerico quodam Greg. Turonenſis *lib.1. de glor. martyr. c.82.* quòd ab Arrianis in vincula conjectus, quia Perſonarum trinitatem in una divinitatis natura multis rationibus aſſeruiſſet, cum nec minis, nec muneribus ab ea fide avelleretur, tandem verberibus & flagris affectus, dum rogaretur, quid crederet? nihil præter Apoſtolici Symboli articulos quoad divinitatem

A nitatem perſonarum Trinitatem reddiderit, dicens: Credo in Deum patrem: & in Jeſum Chriſtum filium ejus unigenitum: atque in Spiritum S. ex utroque procedentem. *Laur. Beyerlinck in Apophtheg. Chriſt. Tit. Fidei confeſſio.*

SYMBOLI INTERPRETES.

Symbolum Apoſtolorum, quamvis ſparſim quoad doctrinam in eodem contentam reperiatur explicatum, cum in commentariis Euangeliorum, quorum ſummam aliquam continet, tum inter alia fidei Chriſtianæ dogmata; tamen ex profeſſo illud expoſuerunt Cyrillus Hieroſol. *Catech.4.* Chryſ. *hom.1. & 2. in Symbolum.* Ruffinus, cujus expoſitio eſt apud Cyprianum, & Hieron. Auguſtinus *libros quatuor* edidit *de ſymbolo ad Catechumenos,* qui habentur *tom.9. & librum de fide & ſymbolo,* qui habetur *tom.3.* Item *ſerm.115. 119. 123. 125. 131. 181. 192. 193. 194. tom.10. & in Enchiridio* etiam Symbolum exponit S. Petrus Chryſolog. *ſerm.57. uſque ad 62.* Maxim. Taurinenſis *ſerm.1. de diverſis.* S. Thomas Aquinas *in Opuſculis.* Inter recentiores Jacobus Bajus *in opere ſuo Catechiſtico, lib.1.* & Robertus Bellarminus ſparſim *in ſuis controverſiis,* quatenùs ſcilicet hæretici à veterum expoſitione deviant, novamque B errori ſuo convenientem delirando comminiſcuntur.

☞ *De formula Fidei Iudæorum, vide locum illorum proprium.*

* FIDEI CONFESSIO.

Exempla S. Scripturæ.

Naaman princeps militiæ regis Syriæ, vir magnus & honoratus, ſed leproſus, poſtquam ex mandato Heliſei, ad quem muneribus onuſtus venerat, ut ſanitatem reciperet, ſe ſepties in Jordane laviſſet, ejuſque caro mundata eſſet, factaque inſtar pueri parvuli: reverſus ad eum cum univerſo comitatu venit, & ſtetit coram eo, & ait: Verè ſcio, quòd non ſit alius Deus in univerſa terra, niſi tantùm in Iſrael: Obſecro, concede mihi ſervo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet ultra ſervus tuus holocauſtum aut victimas diis alienis, ſed Domino. *Lib.4. Reg.5.*

Vidit Jeſu Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo: Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt. Dicit ei *Nathanael*: Unde me noſti? Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te. Reſpondit ei *Nathanael,* & ait: *Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael. Io. c.1.*

C Jesus veniens in partes Cæſareæ Philippi, interrogabat diſcipulos ſuos: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Qui dicunt ei: Alii Joannem Baptiſtam, alii Eliam, alii verò Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Ait illis: Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus, dixit: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Petrus itaque velut os & lingua cæterorum, & ex perſona illorum, primus eſt (inquit D. Leo *ſerm. 3. in Anniverſario aſſumptionis ſuæ*) in confeſſione, qui primus eſt in Apoſtolica dignitate; ideòque, ait D. Hieron. mercedem accepit vera confeſſio: Beatus es Simon Bar-Jona. *Matth. c.16.*

Pater Lunatici, cujus meminit Marcus, à Chriſto ſanitatem filio ſuo efflagitans, dum ab eo rogatur, *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti*: continuò exclamans cum lacrymis proteſtabatur, *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Marc. c.9.*

Ipſe Dei filius hanc confeſſionem adeò ad ſalutem neceſſariam docuit, ut palam edixerit: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo*; & rurſus: *Qui me erubuerit, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in* D *majeſtate ſua.* Neque enim Chriſtiano ſuffecerit fidem non negare, ſed confiteri illam ore neceſſarium eſt; juxta illud Pauli ad Romanos, *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Luca c.9. Matth. c.10.* Unde impiam doctrinam Priſcillianiſtarum colligimus, docentium olim, nullo in genere criminis reputari, fidem corde retentam ore negare.

Concilium Judæorum audita fama eorum quæ prædicatione ſua Petrus & Joannes patrabant admiranda, vetuit, ne omninò loquerentur aut docerent in nomine Jeſu. *Petrus* autem & *Ioannes* dixerunt: *Si juſtum eſt in conſpectu Dei vos magis audire quàm Deum, judicate; non enim poſſumus quæ vidimus, & audivimus, non loqui*; quomodo alibi Paulus: *Non erubeſco Euangelium,* inquit *Act. c.4.*

EXEMPLA HISTORICA.

Horum exemplo Benjamin Diaconus carceri propter Euangelii prædicationem mancipatus, dum eo liberatus hac lege evaſiſſet, ut deinceps à prædicationis munere abſtineret: *Neque poſſum,* reſpondit: *neque debeo talentum mihi creditum terræ mandare.* Timebat, ne cum vecorde illo ſervo ejiceretur in tenebras exteriores, ſi talentum in terram abſconderet. *Refert ex Theod. L. Beyerlinck in Apoph. Chriſtianis, Titulo* E *Prædicatio.*

Achiminedes, ut eſt author Nicephorus, in propaganda Chriſti fide apud Perſas aſſiduus, cum apud Tarenem illorum Regem accuſatus eſſet, cui aliàs erat admodùm familiaris, quòd Chriſtum crucifixum prædicaret, & is, ne id ultra faceret, præciperet, niſi amicitia, qua ſecum junctus erat, excidere vellet: reſpondit, Univerſitatis Deum nunquam abjuravero, tibi ut amicitia jungar: Majus crimen divinam ſilendo, quàm regiam lædere majeſtatem. *Niceph. lib.14. c.10.*

Neque minùs in hoc genere præclarum eſt, quod de Canuto Anglorum Rege memorat Saxo Grammaticus. Circumventus enim à corvis aulicis (ita appello aſſentatores) cum omnia ad illius nutum vultumque evenire, dictoque parere, magno verborum artificio, ita ſolent tales, crebriùs dicerent, ille, inſpectantibus cunctis, ſellam regiam propè maris littus collocari præcipit. Omnibus autem rem inſolitam demirantibus, poſtquam reſediſſet: Tu, inquit, mare, ditionis meæ es, & ſolum in quo ſedeo, eſt meum: Tibi igitur impero, ne in terram meam conſcendas; jam enim erat maris acceſſus; neque membra domini tui undis perfundas. Dixerat, & ad Regis F monita ſurdum mare ſervat fluxum ſuum, ingentique imbre ſinum illius, & aſſentatores qui circumſteterant perfundit. Ad quos ſubridens Rex: En quàm verè dicatis, omnia meo imperio parere. Quin ſciant hoc experimento omnes qui terram incolunt, ſive Reges, ſive inopes fuerint coloni, fragilem & impotentem eſſe Regum potentiam: Unum verò eo nomine dignum, cujus potentia omnipotens, qui imperat cœlo, terræ, & mari. Ac diademate Cruci impoſito, deinceps pietatis ac religionis cultor extitit. Ita ante illum Poeta Lyricus;

Regum timendorum in proprios greges:
Reges in ipſos imperium eſt Iovis.

Ex Apophthegm. Chriſtianis ſuprà.

S. Romanus primùm ſub Juliano Imp. militiæ ſæculari adſcriptus, ac martyrio deinde pro Chriſti nomine coronatus, eodem Juliano jubente, dum diu plumbatis flagriſque cæſus, ipſa etiam latera vulneribus conciſa paterent, dixiſſe fertur ad impiiſſimum tyrannum: Gratias tibi ago, quòd ampliores mihi oris patefacias meatus, quibus Chriſti fidem annunciem. Tot ecce confitentur ora, quot cerno vulnera. O dictum verè & merè Romanum. *Ibid. ex Surio. Tit. Chriſti confeſſio.* G

S. Dionyſ. etiam Martyrem Chriſti illuſtrem perhibent, ab impio Diocletiano comprehenſum, dum ultimo ſupplicio afficiendum duceretur, non aliud toto itinere ingeminaſſe, quàm, Etſi millies trucidari poſſem, non ob id tamen Dñum meum Jeſum toties palam confiteri ceſſarem. Ipſo facto demonſtrans, quàm parùm timeret eos qui occidunt corpus, & poſt hoc non habent, quid faciant. *Ibid. ex P. de Natalibus.* Haud aliter B. Evelpiſtus, cujus poſt Simeonem Metaphraſtem meminit *Lippelloo in Vit. Sanct.* coram Ruſtico Præfecto in prætorium adductus, dum rogaretur, quiſnam eſſet, inſuper cujus religionis, nihil cunctatus, ait: Servus quidem Cæſaris; ſed libertate à Chriſto donatus, ejuſque beneficio ſpei æternæ, quæ non confundit, particeps factus. *Ibid.* S. quoque Diaconus de genere, domo & patria percontanti Tyranno, in mediis cruciatibus nihil dixit aliud, quàm, Chriſtianus ſum: Hoc mihi nomen, genus, patria, doctrina: aliud nihil ſum. Quomodo non omnia cum D. Paulo reputavit ut ſtercora, ſolum ut Chriſtum lucrificaret? *Ibid. ex Euſeb. lib.5. hiſt. c.1.* Præclaram inſuper fidei Chriſtianæ teſtificationem Pacianus Antiſtes apud Sempronianum dedit, dum ad eum ita ſcripſit: Chriſtianus mihi nomen, Catholi- H cus cognomen. Illud me nuncupat, hoc oſtendit: hoc probor, inde ſignificor. Catholicum iſtud nomen, nec Marcionem, nec Appellem, nec Montanum ſonat; adde nec Lutherum, nec Calvinum, nec Mennonem, nec hæreticos ſumit Authores. *Ex litteris Paciani, ep.1.*

Videbat S. Nicephorus Sapritium presbyterum, ob ſupplicii quod imminebat ferociam, conceptam animo inde conſtantiam remittentem, & in lachrymas reſolutus, dum fruſtra eum ad fortiter pro Chriſti nomine decertandum cohortatus fuiſſet, cervicem infracto animo lictori præbuit: Me, exclamans, pro illo ferire: nam & ipſe Chriſtianus ſum. *Surius tom.1.*

☞ *Refer huc pleraque ex Loco de Confeſſione. Vbi etiam agitur de Confeſſione fidei, ejuſque neceſſitate, erroribus circa eandem, &c.*

* FIDES JUSTIFICANS.

Non Est Specialis Misericordiæ Divinæ.

Noſtri temporis hæretici, quamvis in hoc cum Catholicis conveniant, quòd actum fidei requirant, ut juſtificationem quis

A quis aſſequatur, multùm nihilominùs à Catholica veritate diſſentiunt in aſſerenda illa fide quæ ad juſtificationem eſt neceſſaria, quando volunt, hanc fidem eſſe certam firmamque cognitionem divinæ erga nos benevolentiæ. Ut videre eſt apud *Calvin. lib.3. Inſt. c.7. §.* ſive ut docent Centuriatores *lib.1. cap.4. Cent.1. col.113. eſſe fiduciam miſericordiæ propter Chriſtum.* Itaque hujus fidei objectum ponunt miſericordiam, ſive benevolentiam Dei, qui miſit in mundum filium ſuum, cujus ſanguine omnia peccata nobis remiſſa certò ſcire nos debere contendunt; cum non aliud objectum fidei agnoſcant Catholici, præter ea omnia quæ Deus revelavit; quod ſubjunctis Scripturarum exemplis fiet manifeſtum. Chriſtus Dñs cœcis lumen petentibus dixit, Creditis, quia hoc poſſum facere vobis? Illis reſpondentibus, *Vtique Domine,* ait: *Secundùm fidem veſtram fiat vobis.* Quo loco fidem omnipotentiæ, ac per hoc divinitatis ſuæ, non autem ſpecialis miſericordiæ, exegit. *Matth. c.9.*

Petrus Apoſtolus, poſtquam fidei ſua confeſſionem edidiſſet illis verbis, *Tu es Chriſtus filius Dei vivi,* eam fidem ita Dominus commendavit, ut eum beatum diceret: quod ſignum erat, eam Petri fidem perfectam fuiſſe, & pro tali eandem cenB fuerunt veteres omnes, qui miris encomiis illam extollunt. Quid autem tunc Petrus credidit, niſi Chriſti divinitatem? *Mat. c.16.*

Similis fuit confeſſio fidei in Centurione, quam tantoperè Chriſtus laudavit, ut diceret ſe non inveniſſe tantam fidem in Iſrael. Non tamen quidquam aliud ſe credere Centurio ille profeſſus eſt, præter Chriſti omnipotentiam & divinitatem, dicens: *Dic verbum, & ſanabitur puer meus. Luc. c.7.* Cum verus ille Iſraelita Nathanael dixiſſet, *Rabbi tu es Rex Iſrael, tu es filius Dei:* Dominus fidem illius approbans, ait: *Quia dixi, Vidi te ſub ficu, credis,* nulla facta mentione miſericordiæ ſpecialis. *Ioan. c.1.* Ipſe Chriſtus poſtquam longa oratione ad fidem cohortatus eſſet Judæos, & illi non credentes abirent, interrogavit Apoſtolos, num & ipſi abire vellent? Reſpondit nomine omnium Petrus: *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credimus, quia tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Erat ergo hæc fides quam Petrus confitebatur, illa ipſa quam Chriſtus exigebat. *Ioan. c.6.* Idem Dominus cum Marthæ dixiſſet: *Ego ſum reſurrectio & vita* &c. *credis hoc?* illa reſpondit, *Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus* C *filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti;* quæ iterum fides non eſt alicujus ſpecialis miſericordiæ, ut conſtat, ſed divinitatis Chriſti. *Ioan. c.11.*

Eundem etiam habemus & teſtem & doctorem, quam fidem à nobis requirat, dum diſcipulos ſuos rogavit, *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? alioquin propter opera ipſa credite.* Quomodo etiam Thomæ divinitatem ſuam confitenti, *Quia,* inquit, *vidiſti credidiſti me: beati qui non viderunt & crediderunt.* Quo loco dicuntur beati, qui credunt Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, ac Dominum & Deum eſſe: Hoc namque Thomas, hoc Petrus, hoc Martha credidit. Quinimò de Euangelio ſuo S. Joann. affimat: Hæc ſcripta ſunt ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. Igitur eadem fides quæ reſpicit Chriſti divinitatem, ipſa eſt quæ & juſtitiam & vitam æternam tribuit. *Ioan. c.14. & c.10.*

Leproſo dicenti apud Marcum, Domine, ſi vis, potes me mundare: Dominus reſpondit: *Volo, mundare.* Itaque *Leproſus* ille de Domini voluntate, adeòque de ſpeciali miſericordia illius ambigebat: Neque enim dixiſſet, Si vis, potes. Quia tamen D fides omnipotentiæ ei non defuit, & divinitatis in Chriſto, impetravit quod petiit. Unde colligimus, fidem ejus talem fuiſſe qualem Dominus requirebat, atque in cujus confirmationem miracula faciebat, quamvis deeſſet illi certitudo de miſericordia ſpeciali. *Marci c.1.*

Duo homines aſcendentibus in templum, ut orarent, unus Phariſæus, & alter Publicanus; Phariſæus quia ſe juſtum confidebat, idcircò orans dicebat: Gratias tibi ago Domine, quòd non ſum ſicut cæteri hominum. Neque verò loquitur de juſtitia quam ob propria merita ſe habere credebat; ſed de ea quam à Deo acceperat, cui gratias agit. Contra Publicanus non audebat oculos ad cœlum levare, ſed à longè ſtans, & pectus percutiens, orabat: Deus propitius eſto mihi peccatori. Et tamen deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo, id eſt, præ illo. Igitur Phariſæus habuit inſtar hæreticorum omnium benevolentiæ ſpecialis fidem, & nihilominùs patitur repulſam: cum Publicanus ea fiducia deſtitutus, cum timore ac tremore ad Deum accedens, juſtificatus fuerit. *Luc. c.18.* Miſſurus denique in univerſum orbem Apoſtolos ſuos Dominus, cum dixiſſet: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: ſubjungit: *Signa autē eos qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo Dæmonia ejicient,* &c. E Ubi luculenter intelligimus, doceri fidem ſalvantem ſive juſtificantem eſſe unam & eandem cum fide miraculorum. Certum eſt autem hanc non reſpicere, tanquam objectum, ſpecialem miſericordiam remiſſionis peccatorum, ſed Dei omnipotentiam. *Marci cap. ult.* Philippus ad Eunuchum Candacis Æthiopum Reginæ divino inſtinctu miſſus, poſtqua illi annunciare cœpiſſet Jeſum, poſtulanti baptiſmum dixit: *Si credis ex toto corde, licet:* ad quem ille: *Credo filium Dei Jeſum Chriſtum.* Quo reſponſo ſibi ſatisfactum agnoſcens Philippus, illum baptizavit; quod perperam egiſſet, ſi neceſſariam non exiſtimaſſet fidem, qua credere debuerat Deum ſibi eſſe propitium. *Actor. c.8.*

Sed & glorioſi Fidei noſtræ præcones Petrus & Paulus varias conciones ad populum habuere, quibus fidei Chriſtianæ doctrinam aſſeruerunt; at nullum in omnibus illis verbum de ſpeciali miſericordia, ſed totæ abſumuntur in tradenda & perſuadenda reſurrectione & divinitate Domini noſtri. Ita videre eſt *Act. c.2. 4. 10. 14. 17.* Fidem Patriarchæ Abrahæ, qui credentium pater extitit, Doctor gentium exponens, quæ ei ad juſtitiam, teſte Scriptura, eſt reputata, non dicit eum credidiſſe F per miſericordiam ſpecialem remiſſa ſibi peccata: ſed patrem ſe futurum multarum gentium, ex filio quem ſibi centenario uxor ſterilis & nonagenaria, præter naturæ ordinem, eſſet paritura. Ideòque fides ejus tantoperè commendatur, quia (ut ipſe dicit) *in remiſſione Dei non hæſitavit, neque conſideravit corpus ſuum mortuum, & emortuam vulvam Saræ: ſed dedit gloriam Deo, pleniſſimè perſuaſus, quoniam quæ promiſit Deus potens eſt & facere. Ad Rom. c.4.*

Huc refer ea quæ priori membro de ſymbolo Fidei dicta ſunt: quod cum contineat breve compendium, & ut Auguſtinus ſcribit, comprehenſionem fidei noſtræ, tamen nullum in eo verbum reperitur de ſpeciali miſericordia. Itaque id ſolum eſſet prætermiſſum, quod erat inſerendum, ſi vera eſſet de fide juſtificante Hæreticorum ſententia.

FIDES SOLA NON JUSTIFICAT.

Exempla S. Scripturæ.

Conveniunt in hoc omnes paſſim hæretici, ſolam fidem juſtificare: hoc eſt, nulla alia re acquiri, vel, ut ipſi loquuntur, apprehendi juſtificationem, præterquam fide. Cujus contradictorum tanquam veriſſimum Eccleſia Catholica ſemper tenuit: nempè hominem non juſtificari per ſolam fidem, cum & aliis virtutibus vim juſtificandi tribuant Scripturæ divinæ, adeòque G præter fidem requiri bona opera, ſive, quod eòdem recidit, requiri fidem vivam, hoc eſt charitate informatam. Unde S. Jacobus in Epiſtola: *Quid proderit fratres mei,* inquit, *ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides ſalvare illum?* & Apoſtolus Paulus palam confitetur: *Etiamſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. 1. ad Corint. cap.13.*

Dominus ac Salvator noſter venientibus ad eum quibuſdam, quorum ſanguinem Pilatus ſacrificiis immiſcuit, dicebat: *Putatis, quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non, dico vobis: niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis:* Non ergo fidei, ut volunt hæretici, ſed etiam pœnitentiæ juſtificatio & ſalus adſcribenda. De qua eſt illud *Act. c.11.* Ergo & gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam. *Lucæ c.13.* Simili modo Petrus percontantibus Judæis quibuſdam: Quid faciemus viri fratres? reſpondit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* Ubi præter Pœnitentiam baptiſmus præcipitur. Dicere debuiſſet ſecundùm Calvinum & alios: Certò ſcitote peccata veſtra per Chri- H ſtum remiſſa, atque illius juſtitiam vobis etiam imputari. *Act. c.2.* Chriſtus Dominus Paralytico ſanitatem poſtulanti dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua:* Quando non priùs eum juſtificavit, ut quidam falsò imaginantur, quàm ei diceret Confide fili: ſed contra priùs dixit, Confide fili, & cum eum in ſpem ſalutis erectum vidit, adjunxit: Remittuntur tibi peccata tua. Eleganter S. Ambroſ. *lib.1. de Pœn. c.1.* Nemo poteſt benè agere pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam. *Matt. c.9.* Mariæ Magdalenæ poſt tot ſigna dilectionis & ſubjectionis Domino in domo Simonis Leproſi exhibita, dicitur: *Remiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum:* Ergo & dilectio ad juſtificationem diſponit. Hinc Paulus: Neque, ait, circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per dilectionem operatur, *ad Galat. c.5. Luc. c.7.* Addatur prioribus præclarum S. Jacobi Apoſtoli teſtimonium: Vis, ait, ſcire ò homo inanis, quoniam fides ſine operibus otioſa eſt? Abraham pater veſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum

A ſuum ſuper altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt; videtis, quomodo ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm. *Iacob. c.2. Epiſt.*

Similiter autem & Rahab meretrix nonnè ex operibus juſtificata eſt, ſuſcipiens nuntios, & alia via ejiciens? Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt. *Iacobi c.2.* Cæterùm quemadmodùm corpus ſine ſpiritu manet verum corpus, ita fides ſine dilectione aut operibus vera fides eſt, ut colligitur ex Paulo *1. ad Corinth.13.* & in *cap. 12. Ioannis* dicitur, quòd multi Principes in Chriſtum crediderint, ſed non confitebantur; dilexerunt enim magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei. En quomodo in his Principibus fuerit vera fides, ſed ſine charitate.

☞ *Revocari huc poterunt pleraque ex Titulo de aliis virtutibus, & operibus bonis in particulari.*

FIDES HÆRETICORUM FALSA.

☞ *Quære Tit. Hæreſis, Hæretici, Membra Hæreticorum, Fides.*

* FIDEI DEFENSORES.

B *Proſperos exitus ſortiri.*

EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Moyses Hebræorum ductor, & famulus Domini, maluit aulam Pharaonis relinquere, & omnibus ſe facultatibus exuere, quàm fidei & Religionis zelum vel aliquatenùs remittere. Ex quo factum, ut à Domino ſuſcitatus ad tantum dignitatis faſtigium evectus ſit, quantum nemo ante ipſum legitur aſſecutus: idque non idcircò tantum, quòd populi illius conſtitutus fuerit doctor & propugnator, ſed vel maximè, quòd adeò extiterit familiaris Deo, ut cum eo facie ad faciem loqueretur, ſicut ſolet homo cum amico aut proximo ſuo. *Exod.3. & ſeq.*

Joas Rex Iſrael, quamdiu veræ fidei cultor permanſit, toto videlicet vitæ tempore Jojadæ ſacerdotis, Deo charus, fœliciter imperavit: at poſt mortem Jojadæ, delinitus obſequiis Principum ſuorum, eorum conſiliis acquievit, & *dereliquerunt templum Domini Dei patrum ſuorum, ſervieruntque lucis & ſculptilibus, & facta eſt ira contra Iudam & Ieruſalem propter hoc peccatum.* Quare evoluto vix anni ſpatio, exercitus Syriæ venit, & univerſos Principes interfecit, ac optimam prædam Regi ſuo in Damaſcum tranſmiſit; Joam quoque lecto deC cumbentem ſervi ſuo occiderunt, & regnavit Amaſias filius pro eo. *Lib.2. Paralip. c.24.*

Daniel propheta non ob aliam cauſam apud potentiſſimos Reges exaltatus, Deo ita dirigente, legitur, quàm quòd Orthodoxæ fidei præcepta, & cæremonias legemque patrum ſuorum & ipſe incunctanter ſervaret, & vitam etiam ac ſanguinem pro earumdem defenſione profundere non detrectaret. Unde & divini nominis hoſtes profligavit, & ſumma honorum bonorumque temporalium fœlicitate auctus fuit. *Daniel. cap.6.*

De Juda Machabæo fortiſſimo ac religioſiſſimo Principe memorant Machabæorum hiſtoriæ ſacræ, quòd perſecutus ſit inimicos ſuos, eoſque non una memorabili cæde deleverit, ita ut ceciderit timor Judæ ac fratrum ejus, & formido ſuper omnes gentes in circuitu eorum: & ad Regem Antiochum perveniret nomen ejus, & de præliis Judæ narrarent omnes gentes. Cujus rei cauſam Scriptura explicat Religionis avitæ zelum, & legum ſuarum juſtiſſimam defenſionem: Quod ex verbis ipſius ad populum habitis colligitur; nam cum ad eum aſcendiſſet Seron princeps exercitus Syriæ, & cum illo caſtra impioD rum, fortes, ut Scriptura loquitur, auxiliarii, ut faceret vindictam in filios Iſrael, & paucis adversùs illos Judas egrederetur, ait ad ſuos: *Facile eſt concludi multos in manus paucorum: & non eſt differentia in conſpectu Dei cœli liberare in multis, & in paucis. Ipſi veniunt ad nos in multitudine contumaci,* &c. *Nos verò pugnabimus pro animabus noſtris, & legibus noſtris: & ipſe Dominus conteret eos ante faciem noſtram. Lib.1. Machab. c.3. & ſeq.*

EXEMPLA HISTORICA.

Constantinus, qui primus publicè ex Imperatoribus Eccleſiam defendit, eo ferè modo Maxentium vicit, quo Moyſes Pharaonem. Auguſtinus ait: Conſtantinum Imperatorem non ſupplicantem dæmonibus, ſed ipſum verum Deum colentem, tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet: univerſum orbem Romanum unus Auguſtus tenuit & defendit, in adminiſtrandis & gerendis bellis victorioſiſſimus fuit, in tyrannis opprimendis per omnia proſperatus eſt: grandævus ægritudine & ſenectute defunctus eſt: filios imperantes reliquit. *Euſebius Cæſar. libro 9. Eccleſ. hiſtor. cap.9.* E

Theodosius ſenior, eò quòd verè pius Catholicus eſſet, adeò ei omnia proſperè ſucceſſerunt, ut in præliis hoſtium tela in auctores, Deo agente, retorquerentur, & ipſe in bona pace Deo animam reddidit. *B. Aug. lib.5. de Civit. c.26.*

De Honorio etiam planè Catholico, & Romano Pontifici addictiſſimo, ut patet ex ejus epiſtolis ad Bonifacium Papam, ſcribit Auguſtinus, ita Deum pro illo pugnaſſe, ut uno prælio multò ampliùs quàm centum mille Gothorum proſternerentur, & Rex ipſe Radagaiſus cum filiis caperetur, & occideretur; ex Romanis ne uno quidem vulnerato, nedum extincto. *Idem ibid. c.23.*

Socrates ſcribit de Theodoſio juniore, Theodoſii Magni nepote, ejuſque germana ſorore Pulcheria, admirabili pudicitia virgine, quòd Orientis Imperium multos annos tenuerunt tanta fœlicitate, ut cum illorum pietate liberalitas certare videretur. Frequenter enim è copioſo hoſtium exercitu undique circumſeſſis, & tanta contentione oppreſſis, ut ad reſiſtendum neque conſilio locus eſſet, neque totius imperii vires ſatis eſſe viderentur, Deus (cujus omnia ſunt imperia, & quo defendente nitebantur) ſupra fidem adfuit, & exercitu F ejus pugnante cum barbaris, & ipſo interim in urbe precibus apud Deum vacante, circiter centum millia Saracenorum ab Angelis acta in Euphratem miſerrimè perierunt, & ad miraculum infeſtæ hoſtium acies confuſæ perturbatæque fuerunt profligatæ. *Socrates lib.7. Eccl. hiſt. c.18.*

Justinianus ſenior, donec Catholicus fuit, fœliciter imperavit, ita ut Italiam, Africam, aliaſque multas provincias Romano imperio reſtituerit, ut patet ex Evagrio: at ubi hæreticus factus eſt, & edictum proponere voluit de ſua hæreſi recipienda, mox repentina morte ſublatus eſt, & Eccleſiam magno metu liberavit. *Evagrius lib.4. cap. 16. & ſeq.*

Heraclius quoque, ut ex Joan. Zonara, aliiſque hiſtoricis cognoſci poteſt, dum Catholicus eſſet, præclariſſimam victoriam de Perſis reportavit, & Crucem Domini recepit, quando res Romanæ deſperatæ omninò eſſe videbantur; at cùm in hæreſim incidit Monothelitarum, omnia illi infœliciter ſucceſſerunt, & ipſe novo atque inaudito morbi genere extinctus eſt. *Ioan. Zonaras tom.3. Annal. Byzantin.*

Tempore Urbani II. ad annum Domini M. XCVIII. Chriſtia- G ni in bello ſacro à Papa indicto pro recuperatione Hieroſolymæ, cum eſſenr Antiochiæ in ſumma deſperatione, eò quòd prope adeſſet infinitus exercitus Turcarum, & ipſi pauci eſſent, & diuturna fame propè enecti, ita ut etiam viri fortiſſimi baculis innixi incederent; neque equos haberent, niſi pauciſſimos, ita ut præcipuus Princeps Godefredus Marchio S. Imperii Antverpiæ, unde primas copias duxerat, creatis earundem XII. Ducibus ibidem, equo commodato uteretur, & multi Principes in aſinis æquitare cogerentur; tandem Deus revelavit, ubi eſſet Lancea, & ea prælata, in bello victoriam dedit, ita ut occiderint centum millia Turcarum; cecidit etiam ros divinitùs in illos, qui animis & corporibus vires addidit: denique apparuerunt pro illis tres viri ſancti de cœlo pugnantes. *F. Guil. Tyrius lib.6. ſub finem de bello ſacro.*

Anno Chriſti 672. Reccenſvinthus Rex Hiſpaniarum, ubi ab obitu patris regnaſſet annos duodecim & menſes ſex, moritur, deſiderium ſui reliquens, utpotè Regis optimi, Eccleſiæ valdè proficui; de eo enim hæc Tudenſis habet: Hic fidem Catholicam in tantum dilexit, ut ſemper perquireret viros literatos, qui frequenter coram ipſo conferrent de articulis fidei. De- H lectabatur enim in divinis ſcripturis, & altare Chriſti auro, argento, gemmis & ſericis ſummo ſtudio decorabat: ter Synodum cum Epiſcopis Toleti peregit, & leges apud deceſſores ſuos editas firmavit, atque quaſdam addidit omninò honeſtati convenientes. Cunctos mirè dilexit, & ab omnibus valdè dilectus fuit; erat enim adeò mitis & humilis, ut inter ſubditos quaſi unus ex illis videretur. In pace regnum ſibi ſubjectum rexit, & in villa nomine Gerticos, quæ in monte Laurienſi ſita eſt, propria & ſuavi morte deceſſit, ſub Imperatore Conſtantino. *Cæſ. Baron. annal. Tom.8. ad annum 672. 15. ex Tudenſi.*

Quo tempore Britanni defecere à fide Catholica, amplexati Pelagii ſui perverſa decreta, ſunt oppreſſi ab Anglis, & ad extremum ferè ad internecionem deleti. Gregorius primus Pontifex maximus, ut Anglos Chriſto adjungeret, miſit ad inſulam Auguſtinum. Tum regnabat inter Anglos Edilbertus, cui uxor erat Bertha nomine, è regio Francorum ſanguine orta; quæ nihil æquè cupiebat, & ſuis conabatur ſermonibus, quàm ut vir ipſius Chriſtum ſequeretur; ideòque lætata maximè adventu

tu Auguſtini, maximo fuit illi adjumento ad res Chriſtianas promovendas; egitque apud maritum, ut humaniſſimè exciperetur, & diſſeminandæ Chriſtianæ religionis ei copiam daret: quin illi dedit ipſa ædem ſibi jamdiu ad Chriſtianæ pietatis ſacra peragenda reſervatam, ad quam cùm ſæpè Rex ventitaret, denique inſtigante uxore, Chriſto ſe adjunxit. *Thom. Boz. lib.6. Tom.1. de ſig. Eccl. c.3. ex Beda.*

* FIDEI DESERTORES.

Et contemptores a Deo puniti.

EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Iſraelitæ quamvis innumera à Deo beneficia conſecuti fuiſſent, ejuſque magnalia, tam in Ægypto adversùs Pharaonem, quàm in deſerto contra fortiſſimos Reges, vidiſſent, rebus proſperis elati, fornicati ſunt cum Diis alienis, ſervieruntque Baalim & Aſtaroth, viamque Domini deſeruerunt, quam ingreſſi fuerunt patres eorum. Itaque iratus Dominus, tradidit eos in manus diripientium inimicorum. *Judic. c.2. 3. 4. & 6.*

Rex Saul quem unius anni filium propter vitæ morumque innocentiam Scriptura nominat, in initio regiminis ſui, quamdiu Dei præceptis & voluntati ſe accommodavit, plura beneficia ab eo conſecutus fuit. Quibus pariter & regno etiam exutus eſt, poſtquam illa contempſit. Ita enim ad illum Samuel: *Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Dei tui: quod ſi non feciſſes, jam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum: nequaquam regnum tuum ultra conſurget. 1. Reg. c.13. verſ.13.*

Achab impiiſſimus Regum omnium, & fœdiſſimarum ſuperſtitionum author, relicto Dei cultu, ad Idolum Baal ſe convertit. Verùm tam ille, quàm multis iniquitatibus nobilis illius uxor Jezabel, meritas impietatis ſuæ pœnas dederunt, ut colligere eſt *lib. 3. Reg. c.18. 22. & lib. 4. c.10.*

Salomon Regum ſapientiſſimus, & uſque ad ſenectutem Deo charus, rerum omnium ſecundo curſu uſus eſt: verùm poſtquàm mulieres everterunt cor illius, & à priſtina pietate excidit, ſimul etiam excidit à fœlicitate, ut conſtat *lib.3. Reg. cap.11.* non modò circa bona temporalia, verùm etiam ſpiritualia & æterna, ſic ut non improbabiliter dubitetur de illius ſalute, & in negativam partem inclinetur non exigua Doctorum pars.

Haud meliorem ſortem expertus fuit impius Sedechias, impiiſſimi aliquando Manaſſis filius; ut quo regnante, Reſpub. everſa eſt Judæorum; ipſe filiorum expers, ut qui omnes in conſpectu ſuo trucidari vidit; & oculis effoſſis, in ſqualore & vinculis miſerrimam animam exhalavit. *Jeremiæ c.39.*

EXEMPLA HISTORICA.

Cum Miles Perſicæ cujuſdam civitatis Epiſcopus eſſet, multaque ſæpenumerò paſſus, & verbera ſuſtinuiſſet & tractus, nec ulli iſthic perſuadere poſſet, ut Chriſtianus fieret; moleſtè tuliſſe, civitatique maledixiſſe fertur, & abiiſſe. Paulò poſt verò, cum primores illic in regnum peccaſſent, miſſum eſſe exercitum cum trecentis elephantis, civitatemque illam ſubvertiſſe, & inſtar arui aratro ſubegiſſe ac ſeminaſſe. Miles verò peram dumtaxat circumferens, in qua ſacrum Euangeliorum codicem habebat, Hieroſolymam uſque pervenit, in votis habens illinc & in Ægyptum deſcendere, ut monachos illic videret. *Sozom. hiſt. Eccl. lib.2. c.14.*

Res præclarè geſtas S. Anſgarii primi Nordalbingorum Archiepiſcopi, ſcriptis mandavit S. Rembertus ejus ſucceſſor; ſed de eo illa tantùm ſunt nobis nota, quæ Adam ſuo Chronico intexuit, ubi poſt acceptum à ſede Apoſtolica per Nicolaum Antiſtitem privilegium, ſubjicit miranda iſta de cæde Danorum, qui tunc reſtiterunt Euangelii prædicationi: tanta cæde mactati utrinque ſunt Dani, ut vulgus omne caderet, de ſtirpe autem regia nemo omninò remaneret, præter unum puerum nomine Hericum. Iſte mox, ut Danorum regnum ſuſcepit, ingenito furore ſuper Chriſticolas efferatus, Sacerdotes Dei expulit, & Eccleſias claudi præcepit. Ad quem S. Dei confeſſor Anſgarius venire non trepidavit. Comitante gratia divina, crudelem tyrannum ſic placatum reddidit, ut Chriſtianitatem ipſe ſuſciperet; ſuiſque omnibus, ut Chriſtiani fierent, per edictum mandarit, & inſuper in alio portu regni apud ripam extruxerit Eccleſiam in Dania ſecundam. *Adam in Chronic. apud Baron. tom.10. ad annum 858. 15.*

D. Cyprianus lapſorum miſerabilem ſtragem, ac triſtia deplorat funera: qua etiam narratione de admirandis prodigiis quæ in nonnullos, qui prævaricati à pietate fuerant, perſecutionis illius tempore contigerunt, memorandam in hæc verba attexit hiſtoriam. Si incredulis quibuſdam minor fides eſt futurum, vel præſentibus terreantur. Ecce eorum, qui negaverunt, quæ ſupplicia conſpicimus? quos eorum teſtes exitus flemus? Nec hìc eſſe ſine pœna poſſunt, quamvis necdum dies venerit pœnæ. Plectuntur interim quidam, quò cæteri corrigantur: exempla ſunt omnium, tormenta paucorum. Unus ex his, qui ſponte Capitolium negaturus aſcendit, poſtquam Chriſtum negavit, obmutuit. Pœna inde cœpit, unde cœpit & crimen; ut nec rogare jam poſſet, qui verba ad precandam miſericordiam non haberet. *D. Cyprianus lib. de lapſis.*

Regnerus Rex Daniæ abrogata Chriſtianorum religione, idololatriæ in regno denuò inſtituendæ auctor fuit: quam ejus impietatem divina inſequuta eſt vindicta. Nam Helles, quem regno ille ejecerat, adjunctis ſibi Gallorum auxiliis, eum prælio victum & captum carceri tetro ſerpentibuſque infeſto incluſit, qui ſanie eum perfuſum, venenatiſque morſibus confectum, horrenda morte affecerunt. *Albert. Crantzius lib.4. c.10. Daniæ, anno 826.*

Adjiciam rem aliam ſub Zephyrino geſtam ad hunc modum, quæ ſi in Sodomis eveniſſet, vel illos ad pœnitentiam moviſſet. Erat quidam Natalius non adeò diu antea, ſed noſtris temporibus Confeſſor factus. Hic aliquando ſeductus fuit ab Aſclepiodoto, & alio quodam Theodoto Menſario, qui ambo diſcipuli fuerant Theodoti Coriarii, qui, quoniam ſententiæ hujus, imò potiùs dementiæ, auctor erat, à Victore tunc Romano Epiſcopo, ſicut dixi, à communione ſeparatus fuit. Perſuaſus autem fuerat ab illis Natalius, ut accepto ſalario, hæreſis hujus vocaretur Epiſcopus, ita ut denarios centum quinquaginta menſtruo tempore acciperet. Illis itaque conjunctus, per viſiones commonefiebat à Domino. Miſericors enim Deus, ac Dominus noſter Jeſus Chriſtus nolebat paſſionum ſuarum martyrem extra Eccleſiam conſtitutum perire. Quoniam verò negligentiùs viſionibus attendebat, ineſcatus videlicet primatus apud eos honore, & turpi quæſtu, quo plurimi pereunt; tandem ab Angelis flagellatus eſt, ac tota nocte haud modicè verberatus, ita ut cum mane ſurrexiſſet, induto ſacco ac cinere inſperſo, multo ſtudio ac lacrymis ante Zephyrinum Epiſcopum procideret, & pedibus advolveretur, non clericorum modò, ſed & plebis; & ipſam Eccleſiam ad commiſerandum proclivem, lacrymis defluentibus per miſericordem Chriſtum obteſtaretur, ac multis precibus uſus, oſtenſis etiam plagarum, quas paſſus fuerat, vibicibus, vix tandem ad communionem reciperetur. *Euſeb. Cæſar. lib.5. hiſt. c.28.*

Valens Imperator Arrianus, unum è militiæ ſuæ ducibus Trajanum nomine, virum Catholicum, in Gothos cum exercitu miſit: quem, poſtquam ab hoſtibus ſuperatus revertit, *Valens* conviciis lacerare, eique mollitiem ignaviamque objicere cœpit: at ille libera voce, ut generoſum virum decebat: Non ego, reſpondit, ò Imperator, victus ſum; ſed tu ipſe victoriam perdidiſti, qui contra Deum aciem inſtruere non deſinis, & ita ejus auxilium barbaris concilias. *Hiſt. Tripartita lib.8. c.13.*

Ferunt etiam, Iſacium Monachum, virum ſanctum, eidem Valenti contra Gothos cum copiis proficiſcenti obviam iviſſe, & contenta ac libera voce dixiſſe: Quò proficiſceris, ò Imperator, qui auxilio Dei, quem contra bellum geris, prorſus deſtitutus es? idcircò ille barbaros adversùs te concitavit, quoniam tu multorum linguas ad blaſphemias adversùs eum loquendas exacuiſti, & pios eum laudibus celebrantes Eccleſiis exturbaſti. Deſine igitur tu bellum contra eum facere, & ipſe bellum contra te commotum ſedabit, &c. *Niceph. lib.11. hiſt. c.50. Metaphraſtes in vita Iſacii.*

Constantinus Chlorus, magni Conſtantini pater, ſingularis prudentia & fortitudine Princeps, cùm Chriſtianorum quorundam in palatio ſuo ætatem degentium fidem conſtantiamque explorare cuperet, conditionem propoſuit, ut, qui vellent in palatio manere, & inter amicos haberi, deos ſecum colerent, ſimulacriſque immolarent; qui verò recuſarent, abſcederent, gratiaſque agerent, quòd id facere ſibi impunè liceret. Ex illis nonnulli Principis gratiam venantes, ſacrificium diis obtulerunt: alii ſaniori Religione tantam ſuperſtitionem averſati, cultum pernegarunt; quos in amicorum & conſiliariorum numero habere voluit, ſpretis & excluſis ignavis & infidis immolatoribus: quòd diceret, fidos & veros amicos fore, qui Religionem principi prætuliſſent; contra verò numquam fidem inviolatam Principi ſervaturos, qui tam promptè & ſacrilegè Deum ſuum ejurando prodidiſſent. *Euſeb. lib.1. hiſt. c.11. Car. Sigon. lib.1. de Imp. occid.*

Huic affine eſt Theodorici Regis factum, qui etſi ſecta Arrianus eſſet, cum deprehendiſſet ex famulis unum, cui favebat, religionem mutaſſe, & à Catholicis ad Arrianos, ut Principi gratior jucundiorque eſſet, tranſiiſſe, illum pugione confodit, dicens, fieri non poſſe, ut homini fidem ſervaret, qui Deo fuiſſet infidelis. Ex quibus liquet, iſtos Principes, prudentes & ſapientes viros (licèt alter Gentilis, alter ſecta Arrianus eſſet) probè ſolerterque intellexiſſe, qui in Deum perfidus extitiſſet, ſuo etiam legitimo domino haud futurum fidelem. *Euſeb. lib.1. de vit. Conſtantini c.20.*

Cum Rex Moluccorum, atque alii tres cum ipſo Reges, dæmonis inſtinctu impulſi, nullum non moviſſent lapidem, ut infirmos adhuc in fide Chriſtianos, qui nuper ex idololatria emerſerant, ab ovili Chriſti ad Mahometanam ſuperſtitionem abſtraherent, tandem aliquando benigniſſimus Dominus & ipſoſmet Mauros, & Chriſtianos Apoſtatas, pro ſumma ſua juſtitia, novo ac ſtupendo ſupplicii genere ultus eſt: ſiquidem ex quo à Chriſti fide deſciverant, tanta ſubitò eorum agros (antea quidem pro earum regionum natura longè feraciſſimos) ſterilitas invaſit, ut toto defectionis tempore, quamvis repetita aliquoties ſatione, nullum fructum proferrent: oriza, quam ad ſementem repetitam aſſervabant, vitiata computreſcebat: aquæ dulces priùs, ſingulari quidem, & hactenùs in iſtis partibus inaudito miraculo, ſalſæ factæ ſunt, adeò ut deficientibus alimentis, multi fame interirent, & quibus fames pepercit, eos immiſſa divinitùs peſtis delevit. Nec tamen his omnibus fracti ſunt, aut emolliti duri obſtinatique Maurorum animi; ſed inter hæc ipſa, in quibus verſabantur, vitæ ac ſalutis diſcrimina, perſeverabant indigenas ad defectionem & perfidiam ſolicitare. Tentarunt etiam nova quadam ratione aditum ad ſe veniendi Luſitanis præludere: poſtremò in munitiſſimum locum ſeſe recepere, unà cum magna incolarum manu, qui ex montibus illis ſubſidio venerant. His ita ad bellum comparatis, inexpugnabiles ſe rati, in ſententia firmiter permanebant. Erant revera (ſi vires noſtras ſpectemus) inſuperabiles: infra tamen divinam potentiam, quemadmodùm exitus comprobavit, fortes. Præfectus etenim arcis militiæ aliquot Luſitanos, paucos admodùm ad numeroſiſſimum illorum collatos exercitum, eò loci, ubi ſe continebant, expedivit: quum appropinquaſſent, admonent illos benevolè de fide promiſſa, hortantur idolis nuncium remittant, ad Chriſtianam religionem redeant, ſimulque addunt, ſe quidem paucos numero, ac penè inermes eſſe, ſed fide ac veritate (qui Deus eſt) armatos adveniſſe, de cujus auxilio nihil planè dubitarent. Ad quæ illi arroganter, & inſolenter nimis reſpondent, nolle ſe Chriſtianos fieri. His dictis, tantus hoſtes repentè cum timore tremor invaſit, ut de manibus arma excuterentur, & ipſi humi procumberent, non valentes, etiam ſi mutuò ſe complecterentur, conſiſtere. Sol ipſe, quamvis ferè in meridie eſſet, tam denſis (mirabile dictu) circumfuſus eſt tenebris, ut alter alterum non videret: contremuit vehementer ſub pedibus terra: de cœlo autem tanta vis ignitorum lapidum, & cineris in privata tecta ac delubra dæmonum decidit, ut omnia ſolo æquarentur. Vidiſſes evulſas penitùſque inverſas arbores, ramis quidem in terram demerſis, radicibus verò cœlum ſpectantibus: vidiſſes vias ante tribulis à Mauris, ut noſtratibus præcluderent aditum, impeditas, jam cineribus lapidibuſque è ſublimi delapſis ita complanatas, ut iter jam non prohiberetur. Denique nihil eſt, quod turbo ille, & horribilis tempeſtas, impietatis & nefariæ perfidiæ vindex, ſolo non alliſerit, humique proſtraverit. Una dumtaxat domuncula in mediis ruinis poſita, temploque (quod illi non ita pridem Jeſu Chriſti Domini noſtri Cruce everſa, & Divorum imaginibus abolitis, ſceleratiſſimè profanaverant) contigua incolumis permanſit, quæ neque de cœlo tacta, neque ejus culmen ex palmarum licèt foliis contextum, igne eſt violatum. Calamitas hæc ubi ceſſavit, ad propugnaculum properant Luſitani, viam inveniunt planam ac expeditam, opertis (ut ſupra diximus) cinerum tuderumque multitudine muricibus. Ingreſſi magnam idololatrarum ſtragem faciunt, nullo interim ex noſtris aut cæſo aut vulnerato. Nec ad victoriam quicquam obfuit, quòd ſinguli noſtrorum militum cum plurimis confligerent. Nam Deo ſic volente, omnibus planè viribus erant deſtituti, ſic ut & manus ad reſiſtendum eſſent imbelles, & ad fugiendum pedes impotentes. *Ex Epiſtolis Meluccenſib. anno 1595.*

* QUÆSTIO,

AN AD SALUTEM SUFFICIAT CREDERE

in Chriſtum pro nobis mortuum, etiamſi pleraque alia non credamus?

Quæſtionem hanc oportunè cum aliis quibuſdam inde dependentibus movit & reſolvit Leonardus Leſſius è Societate Jeſu Theologus perſpicaciſſimus, & adjecit per modum Appendicis ad conſultationem ſuam de fide, ſive Religione amplectenda. Idque eo tempore, quo per pacta inducialia, liberum erat diſſectis paſſim ſectatoribus ad Catholicorum ritus cæremonias, templa, civitates, per Belgium abſque noxa venire, & de rebus fidei conſultare.

Et ſanè plurimi ex plebe ſatis eſſe arbitrantur, ea credi, quæ in Symbolo Apoſtolorum proponuntur. Cætera omnia cenſent adiaphora, & quemlibet de illis poſſe credere, prout ei bona fide videtur credendum: Symbolum autem à quovis credi volunt, juxta ſenſum qui cuilibet videtur optimus. Itaque ſtatuunt, quemlibet qui Chriſtum confitetur, in fide ſalvari poſſe: ſive ſit Papiſta, ſive Lutheraniſta, ſive Calviniſta, ſive Anabaptiſta, ſive alterius ſectæ. Omnes enim hi tenent idem caput, quod eſt Chriſtus; omnes enim innituntur fundamento, quod eſt Chriſtus Jeſus. Itaque à ſalute excidere non poſſunt, etiamſi in aliis diſſentiant. Hanc aliqui potentes, qui iſtis novis Religionibus utuntur ad ſtabiliendum & amplificandum ſuum Imperium, plurimùm laborant, ut ex Lutheranis & Calviniſtis unam Eccleſiam conficiant; perſuadere nituntur, inter eos non eſſe diſcrimen, niſi in neſcio quibus apicibus & rebus adiaphoris.

Verùm hæc ſententia multa ſecum trahit incommoda.

Primò, Quia ſalvat pœnè omnes antiquos hæreticos. Plerique enim confitentur Chriſtum, & ſuo ſenſu tenent Symbolum. Salvari itaque poterant in ſua hæreſi Arriani, qui Filium Patri negabant conſubſtantialem: Macedoniani, qui Spiritum ſanctum Filio faciebant minorem: Neſtoriani, qui duas in Chriſto ſtatuebant perſonas: Eutychiani, qui carnem Chriſti in divinitatem converſam aſſerebant: Appollinariſtæ, qui Verbum divinum loco animæ rationalis carni unitum in Chriſto ponebant: Monothelitæ, qui unicam tantùm voluntatem & operationem in Chriſto ſtatuebant: Pelagiani, qui peccatum Originale negabant, & hominem viribus naturæ poſſe gratiam Dei & ſalutem promereri docebant: Donatiſtæ, qui Chriſti Eccleſiam ubique periiſſe, præterquam in parte Donati affirmabant: Novatiani, qui lapſis pœnitentiam negabant: Montaniſtæ, qui Montanum Paracletum putabant. Hi omnes juxta hanc ſententiam, ſinguli in ſua fide ac hæreſi ſalvati ſunt, quia in Chriſtum crediderunt, & non minùs Symbolum Apoſtolicum, quàm modò Lutherani & Calviniſtæ, tenuerunt. At quid abſurdius magiſque paradoxum in Eccleſia dici poteſt? Si enim cum hujuſmodi fide ſalus obtineri poteſt, cur tot Concilia, tanto labore & ſumptu convocatis ex toto orbe Epiſcopis, adversùs illas hæreſes celebrata: Cur toties anathemate fuere damnatæ: Cur ſancti Patres tantoperè in illis extirpandis laborarunt: Cur Catholici hæreticorum illorum conſuetudinem & convictum tantoperè exhorruerunt: Cur plurimi exilia, mortem, & omnia tormentorum genera perferre maluerunt, quàm alicui ex illis hæreſibus ſubſcribere? Sanè hæc omnia fruſtra, ſtultè, & injurioſè facta ſunt, ſi in illis ſectis ſalus obtineri poterat: quod cùm nemo ſapiens dicere poſſit, fatendum eſt, hæreſes illas eſſe animorum peſtes, nec poſſe ullo modo ſalutem cum illis conſiſtere.

Secundò, Quia condemnat erroris totam antiquitatem, quæ ſemper exiſtimavit, hæreticum non poſſe ſalutem conſequi; & idcircò tam acriter ſe illis oppoſuit, tantoque ſtudio ſemper confutavit.

Tertiò, Quia condemnat ipſum Apoſtolum, qui *ad Titum 3.* ſic præcepit: *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundum correptionem devita; ſciens, quia ſubverſus eſt, qui hujuſmodi eſt, & deliquit, cùm ſit proprio judicio condemnatus.* Cur jubet illum vitari, ſi error ejus non officit ſaluti? Cur dicit illum ſubverſum & condemnatum? Idem *2. ad Timoth.2. Sermo eorum ut cancer ſerpit.* Sicut ergo cancer eſt lethalis corpori humano, niſi exſcindatur; ita hæreticus cœtui fidelium.

Dicet fortè aliquis, neminem eſſe cenſendum hæreticum, niſi qui rejicit Chriſtum, aut negat aliquid pertinens ad Symbolum. Verùm hoc prorsùs imperitè & abſurdè dicitur. Sic

enim

enim non eſſet hæreticus, qui vetus & novum Teſtamentum è medio tolleret, diceretque illa eſſe vel confiċta, vel humano ſpiritu conſcripta, multiſque erroribus, ut ſcripta profanorum auċtorum, obnoxia. Non eſſet hæreticus, qui negaret infernum, vel pœnarum æternitatem: qui dæmones omnes aliquando poneret ſalvandos; cùm nihil hiſce de rebus in Symbolo Apoſtolorum habeatur. Non eſſet hæreticus, qui vetaret nubere, qui nuptias diceret eſſe à diabolo: qui eſcas nonnullas ſua natura ſtatueret immundas: quos tamen inter hæreticos cenſet Apoſtolus 1. *ad Timoth.*4. Non eſſet hæreticus, qui in Chriſto duplicem aſſereret perſonam; quem tamen hæreticum eſſe, & Antichriſtum, ait S. Joannes *Epiſt.*1. *cap.*4. Non eſſet hæreticus, qui negaret baptiſmum, & omnia Sacramenta. Denique nullus eorum quos ſuprà commemoravimus, inter hæreticos eſſet numerandus, quòd toti antiquitati, & omnibus Doctoribus, qui jam à decem vel duodecim ſæculis extiterunt, repugnat.

Quartò, Hæc ſententia omnes hæreſes & ſectas ſupradictas fidei Orthodoxæ exæquat, ſtatuendo, non minùs per illas quàm per hanc, ſalutem obtineri poſſe. Itaque Orthodoxa Religio nihil erit melior Arrianiſmo, Pelagianiſmo, Neſtorianiſmo, Eutychianiſmo, aliiſque falſis Religionibus: quod per ſe abſurdiſſimum, & nihil eſt aliud, quàm inducere merum Atheiſmum. Statuere enim, omnes Religiones eſſe bonas, nihilque ad negotium ſalutis intereſſe, quam profitearis, eſt nullam curare Religionem. Si enim eſt aliqua Religio, hæc non poteſt eſſe, niſi unica, ſicut unica eſt veritas, unica juſtitia, unica fides, unica beatitudo, unus Deus & Dominus omnium, unus Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus.

Quintò, Ridiculum eſt dicere, ſat eſſe credere Symbolum juxta ſuum ſenſum; cùm una tantùm ſit veritas: quæ ſi non attingitur, jam falſum creditur; at fides falſa quid poteſt juvare ad ſalutem? Itaque perinde eſt, ſive tali modo Symbolum credas, ſive nullo modo credas. Poterit ergo quis ſalvus eſſe, etiamſi multos articulos abſolutè non credat. Idem dixerim de Scripturis. Si enim ſufficit credere Scripturis ſuo ſenſu intellectis, cùm hic ſenſus ſæpè poſſit eſſe erroneus; etiam ſatis erit, etiamſi nullo modo illis fidem adhibeas. Non enim fides falſa magis poteſt eſſe neceſſaria ad ſalutem, quàm fides nulla, qua nimirùm quis abſolutè non credit.

Si dicas, Symbolum debere credi in vero ſenſu, jam damnas ſectas hujus temporis, quarum nulla eſt, quæ omnes Symboli articulos credat eodem ſenſu quo Catholici; aut Symboli explicatione non differat ab alia. Unde cùm non ſit niſi unica veritas, neceſſe eſt, omnes Religiones hujus temporis præter unam à veritate aberrare; ac proinde ad ſalutem non ſufficere.

Quòd autem multùm diſcrepent in Symboli ſenſu, patet. Illum enim articulum, *Et in Ieſum Chriſtum Filium ejus unicum*, aliter explicant Arriani, Tritheitæ & multi Calviniſtæ, qui Filium Patre ſtatuunt minorem: aliter Lutherani & Catholici, qui æqualem & conſubſtantialem. Articulum *de deſcenſu Chriſti ad inferos*, aliter intelligunt Calviniſtæ, qui putant ibi ſignificari Chriſtum ſuſtinuiſſe tormenta damnatorum, dubitaſſe de ſua ſalute, & timuiſſe, ne ab æterna morte penitùs abſorberetur: aliter Catholici & Lutherani, qui talem expoſitionem non ſenſum articuli Symboli, ſed blaſphemiam dicunt eſſe Calvini. Articulum *de aſcenſu Chriſti ad cœlos*, &c. aliter intelligunt Lutherani Ubiquiſtæ, qui Chriſti corpus ponunt ubique & omnibus locis eſſe præſens, ſicut ubique præſens eſt ejus Divinitas: aliter Calviniſtæ & Catholici, qui non dubitant, per hujuſmodi expoſitionem totum penè ſymbolum everti, Chriſtique incarnationem, nativitatem, paſſionem, mortem, adſcenſum ad cœlum, adventum ad Judicium è medio tolli. Articulum *de judicandis vivis & mortis* aliter exponunt Catholici, qui dicunt Deum ita judicaturum, ut opera bona remuneret cœlo, opera prava inferno: aliter Calviniſtæ & Lutherani, qui operibus bonis omnem mercedem denegant, & ſolius fidei ſpecialis in judicio divino habitum iri rationem cenſent. Articulum *de Spiritu ſancto* aliter intelligunt Catholici & Lutherani, aliter Arriani & multi Calviniſtæ. Articulum *de Eccleſia* Lutherani & Calviniſtæ intelligunt de congregatione inviſibili prædeſtinatorum: Catholici de congregatione viſibili Catholicorum, in qua multi ſunt prædeſtinati, multi reprobi. Articulum *de communione Sanctorum* ita extenuant Lutherani & Calviniſtæ, ut omnem penè communionem, quæ à Catholicis ponitur, tollant. Articulum *de remiſſione peccatorum*, explicant de ſola non imputatione, non agnoſcentes internam ullam renovationem per juſtitiam inhærentem & dona infuſa, quo modo Catholici peccata remitti ſtatuunt.

Ex his patet, quanta ſit diſcrepantia in ipſius Symboli intellectu. Itaque cum non ſit niſi una veritas, & hanc oſtenderimus alibi, eſſe apud Catholicos; neceſſe eſt, reliquas ſectas falſam Symboli doctrinam & fidem tenere. Si ergo vera requiritur Symboli fides, fieri nequit, ut quilibet in ſua fide ſalvari poſſit: Si falſa ſufficit, quomodo fides falſa poteſt juvare ad ſalutem?

Sextò, Scriptura divina non eſt minoris auctoritatis, quàm Symbolum Apoſtolicum; nec minorem Deo injuriam irrogat, qui aliquid in Scripturis clarè expreſſum negat, quàm is qui aliquem Symboli articulum rejicit. Ergo nulla eſt ratio cur fides reſtringatur ad Symbolum, & in reliquis ſentiendi ſit libertas; cùm non minùs teneamur credere omnia quæ ſunt in Scripturis, quàm quæ in Symbolo: Etſi enim non obligemur omnia, quæ in Scripturis continentur, diſtinctè noſſe, tenemur tamen omnia generatim credere: adeò ut ſine ſcelere hæreſeos non poſſimus aliquid eorum ut falſum vel ambiguum rejicere. Quo ergo colore, qua probabili ſpecie dici poteſt, non referre, quomodo in cæteris credas, modò Chriſtum & Symbolum retineas? Cur Symbolum potiùs quàm univerſa Scriptura teneri debet, cùm ejus non ſit major quàm Scripturæ auctoritas? Nimis profectò eſt rudis & impolita hæc phantaſia, omni fundamento deſtituta.

Septimò, In omni fide non ſolùm ſpectandum eſt, quid credatur, ſed etiam, & in primis, quo fundamento credatur, quæve ſit tota ſic credendi ratio. Ex hac enim tota fidei natura & conditio pendet. Nam qualis eſt ipſa credendi ratio, quam fidei fundamentum vocamus, talis eſt ipſa fides. Si illa eſt certa, & falli neſcia; fides quoque certa eſt, & infallibis: ſi illa eſt fallax, fides etiam incerta erit, & errori obnoxia. Exempli cauſa; Turca credit eſſe unum Deum omnium conditorem, quia ea docet Alcoranus, quem ſpiritu divino conſcriptum putat; fides ejus, etſi verum credat, falſo tamen & fallaci nititur fundamento, cujus vi ad multa falſa & blaſphema credenda impellitur: ut non eſſe plures perſonas in Divinitate, Chriſtum non eſſe Deum, Chriſtum eſſe minorem Mahometo, tenendam eſſe circumciſionem, & ſimilia. Itaque illa fides ex vi fundamenti fallax eſt & noxia. Idem accidit omnibus hæreticis. Quo poſito; ſic urgeo.

Fides quæ fallaci nititur fundamento, etſi aliqua vera credat, tamen non poteſt eſſe ſufficiens ad ſalutem: atqui fides omnium ſectarum hujus temporis nititur fallaci fundamento: ergo non poteſt ſufficere ad ſalutem. Propoſitio videtur per ſe nota: Quomodo enim id quod fallax & mendax eſt, poteſt eſſe baſis & fundamentum ſalutis æternæ? Quomodo vera Religio qua Deo placemus, poteſt eſſe fundata in fallaci fide? Sanè id non minùs à ratione alienum, quàm ſi dixeris, veritatem niti mendacio, ſapientiam errore, virtutem imprudentia.

Reſtat probanda aſſumptio. Quòd ergo omnes ſectæ fallaci nitantur fundamento, ſic oſtendo. Vel enim credunt ſua dogmata propter auctoritatem ſuorum Apoſtolorum (Lutheri, inquam, Calvini, Melanchthonis, Zvvinglii, &c.) quos divino ſpiritu præditos exiſtimant: vel quia ſinguli proprio judicio ea in Scripturis contineri judicant: vel denique quia ſpiritus privatus interiùs teſtatur ea eſſe vera, vel hanc eſſe Scripturæ divinæ mentem. Quidquid enim ſectæ hujus temporis credunt, ob aliquid horum trium credunt, & unum horum trium fundamentum ſuæ fidei, & credendi rationem ſtatuunt. Atqui hæc fundamenta, & hæ rationes credendi ſunt omninò fallaces.

Quòd enim primum fundamentum, nimirùm auctoritas Lutheri, Calvini, & aliorum, qui novas iſtas Religiones procuderunt, fallax ſit, patet: quia experientia conſtat, potuiſſe illos falli, & reipſa in plurimis lapſos eſſe. Nam multa revocarunt, multa correxerunt, in multis ipſi ſibi contradixerunt. Hinc pauci modò ſunt, qui illorum auctoritate niti velint; quòd homines, ac proinde errori obnoxios fuiſſe dicant. Unde & illorum ſectatores pro libito ab illis recedunt, ubi quid melius ſe inveniſſe putant. Auctoritas itaque illorum fallax eſt, etiam diſcipulorum & ſectatorum judicio.

Nec minùs fallax eſt alterum, nempè judicium privatum, quo Scripturas exponunt. Multa enim falſa judicio privato videntur

videntur vera: & quæ anteà videbantur vera, poſteà judicantur falſa, hinc tanta multorum in credendo variatio, tanta fluctuatio: nempe quia imbecillum eſt humanum judicium, præſertim in myſteriis Fidei, & Scripturarum intellectu, quæ omnem humanæ rationis captum ſuperant.

Reſpondent plerique, ſe in credendo non niti ſuo judicio, ſed Scripturis divinis, quæ non poſſunt errare. Qua in re quàm miſerè decipiantur, vel ex eo conſtat, quòd omnes penè ſectæ affirment ſe niti Scripturis, cùm tamen in plurimis inter ſe diſſentiant, & contraria doceant: quod fieri nulla ratione poſſet, ſi non ſuo privato judicio, ſed legitimo Scripturæ intellectu niterentur. Scriptura enim nuſquam ſibi eſt contraria, nuſquam à ſe diſſentit. Itaque quòd ipſi tantoperè diſſentiant, ex eo provenit, quòd ſuo privato judicio Scripturæ ſenſum fabricent, qui pro diverſitate judicii ac ingenii cujuſque eſt diverſus. Nituntur ergo Scriptura, non ut ſubeſt interpretationi Eccleſiæ Catholicæ, & SS. Patrum; ſed ut ſubeſt interpretationi judicii privati. Nam vis Scripturæ non in verbis nudis, ſed in ſenſu & interpretatione conſiſtit; hunc autem ſenſum judicium privatum excogitat, & verbis Scripturæ tanquam corpori vitam inſerit. Itaque totum fundamentum eſt judicium privatum: quod quàm fallax ſit, diſſenſiones tot ſectarum apertè demonſtrant. Perinde enim eſt, ſive dicas te niti Scriptura, ut ſubeſt interpretationi proprii judicii, ſive privato judicio.

Denique tertium credendi fundamentum, quo plurimi hoc tempore nituntur, maximè omnium fallax eſt & illuſorium. Cujus ſignum, quòd inter Anabaptiſtas, qui præ cæteris inſtinctu ſpiritus ducuntur, maxima ſectarum ſit varietas, & diſſenſio fidei; quod fieri non poſſet, niſi ſpiritus, quo reguntur & nituntur, fallax eſſet & varius. Idem cernitur inter Calviniſtas & Lutheranos, & inter diverſas ſive Lutheranorum ſive Calviniſtarum ſectas & factiones. Singulis enim ſua ſententia certa eſt & evidens teſtimonio privati ſpiritus, qui ſingulos interiùs docet, ſingulis teſtimonium veritaris perhibet. Ex quibus manifeſtum eſt, hunc ſpiritum non eſſe Spiritum ſanctum, Spiritum veritatis, qui contraria docere & ſibi ipſe adverſari non poteſt: ſed ſpiritum nequam, ſpiritum erroris, qui mendax eſt ab initio, & pater mendacii, qui operatur in filiis incredulitatis, de quo Apoſtolus: *Quia charitatem veritatis non receperunt, idcirco mittet illis operationem erroris, ut credant mendacio.* Et alibi: *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.* Omnis enim hæreſis doctrina dæmoniorem eſt. Et S. Joannes: *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt: nam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum.*

Hic igitur ſpiritus eſt, qui in cordibus hæreticorum dominatur, cujus teſtimonium & operationem interiùs inſeri ſentiunt, & putant eſſe operationem Spiritus ſancti: qui eorum phantaſiam & mentem ita faſcinat & pervertit, ut lucem putent eſſe tenebras, & tenebras lucem; ut clariſſimam fidei Catholicæ veritatem putent eſſe errorem, & tetros errores perſpicuam veritatem. Et ſanè niſi prorsùs faſcinati eſſent & excæcati, facilè poſſent advertere, ſpiritum illum quem interiùs ſentiunt, non eſſe ſpiritum Dei; vel ſaltem de eo dubitare inciperent, cùm omnes ſectæ, inter quas tanta dogmatum maximorum diſſenſio, hujus ſpiritus teſtimonium æquè ſentiant, jactent, & ſequantur, eoque in aſſerendis dogmatibus maximè repugnantibus nitantur. Sed juſto Dei judicio id accidit. Sicut enim Judæi qui Chriſtum recipere noluerunt, permiſſi ſunt diabolo excæcandi, ut apertè colligitur ex Apoſtolo 2. *ad Theſſ.* 2. ita hæretici, quia Catholicam fidem deſeruerunt (quæ non eſt minor culpa, quàm Judæorum) eidem permiſſi ſunt, ut mentes eorum tanquam faſcino diſtineat, & in omne genus errorum impellat.

Quòd ſi quis attentè conſideret, advertet etiam, potentiorem in noſtris hæreticis quàm in Judæis vel Mahumetanis eſſe diabolicam operationem, mentiſque faſcinationem; idque duplici ratione. Primò, quia Judæi in eadem fide conveniunt, nec apud illos ſunt variæ ſectæ: apud Mahumetanos verò tantùm ſunt duæ, eæque non adeò diſcrepantes. At apud noſtri temporis hæreticos ſunt ſectæ plurimæ, aliæ ex aliis novorum acceſſione dogmatum propagatæ, quæ ſe mutuò hæreſeos damnant: & hæ omnes ex una intra 90. annos enatæ; quod eſt indicium, diabolum mirificè interiùs iſtorum hominum poſſidere mentes, turbare phantaſias, pervertere imaginationes & judicia, ut nuſquam poſſint conſiſtere, nuſquam acquieſcere.

Secundò, Quia plebeji homines apud Judæos & Turcas non nituntur ſuo judicio, neque ſpiritus privati inſtinctu, & teſtimonio; ſed judicio ſuorum Doctorum, vel (quod idem eſt) Scriptura ſua, quatenùs expoſitioni Doctorum ſuæ Religionis ſubeſt. Itaque habent aliquam regulam credendi, & fundamentum ſuæ fidei, rationi naturali quodammodò conſentaneum, nimirùm majorum ſuorum conſenſum, ſeu Scripturam ſuæ Religionis majorum ſenſu expoſitam. At plerique hæretici hujus temporis non curant ampliùs ſuos majores & Apoſtolos, à quibus hoc novum Euangelium primò acceperunt; ſed eos tanquam homines errorum obnoxios deſerunt, & toti nituntur proprio judicio, vel teſtimonio ſpiritus privati, ſive (quod prorsùs idem eſt) Scriptura divina juxta ſenſum proprii judicii vel ſpiritus privati intellecta. Quod eſt evidens ſignum, ſatanam ita in eis efficaciter operari, & eorum mentes infatuare, ut non ſolùm quiſque ſibi novas hæreſes vel opiniones fingat, ſed etiam in ſeipſo, ſuoque ſenſu interno & guſtu, fidei ſuæ fundamentum, & credendi regulam ſtatuat: quiſque enim ſe doctum à Domino, & ſpiritus magiſterio inſtructum putat (etiam mulierculæ & puellæ) ac proinde ab omni errore immunem; patres omnes homines fuiſſe errori obnoxios. Idem de ſuis Apoſtolis & miniſtris cenſent. At quæ major faſcinatio & illuſio poſſit eſſe? Hinc fit ut nulla certa & rata dogmata habeant, nullum corpus doctrinæ & Religionis ſtatuant, ſed in incertum vagentur, prout ſpiritus ille privatus eos impellit; nec poſſit cum illis de pleriſque dogmatibus ulla diſputatio inſtitui, nulli ſententiæ ſint addicti, & ipſi per imperitiam majorum ſuorum doctrinam neſciant.

Ex his manifeſtè concluditur, omne fundamentum credendi, quo ſectæ hujus temporis nituntur, fallax eſſe ac deceptorium; & ſubinde fidem earum, quæ illi innixa eſt, inutilem eſſe ad ſalutem.

Octavò, Si in ſua fide ſinguli qui Chriſtum agnoſcunt, ſalvi eſſe poſſunt, cur tanta inter Religiones diſſenſio? Cur ſe mutuò hæreſeos damnant, & anathemate perſtringunt? Cur Lutherani Calviniſtas pro fratribus agnoſcere recuſant, & eos impios ac blaſphemos eſſe, publicè pro concione clamant, & ſcriptis libris affirmant? Cur pari modo proceres Calviniſtarum, in quibus Theodorus Beza, pater omnium & veluti Papa poſt Calvinum, tractant Lutheranos? Cur Anabaptiſtæ ſolos ſuos fideles & Chriſtianos vocant, reliquos pro infidelibus habent? Ex quibus patet, hoc novum commentum non ſolùm doctrinæ Catholicæ, ſed etiam omnibus ſectis, quæ aliquem Religionis & pietatis zelum præſeferunt, adverſari, & ad ſolos Atheiſtas relegandum.

Nonò, Ut quis poſſit ſalvus fieri, non ſufficit unius, duorum vel trium mandatorum obſervatio, ſed neceſſe eſt ſervare omnia; juxta illud Domini *Matt.* 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Ut ſi quis ſit adulter aut fur, etiamſi reliqua mandata ſervet, tamen ſalvus eſſe non poterit; ut paſſim Scriptura docet. Ergo pari modo non ſufficit ad ſalutem, duos, tres, vel quatuor articulos credere; ſed neceſſe eſt omnia credere, quæ Deus revelavit, & nobis per Eccleſiam credenda propoſuit. Non enim minùs fides, quàm obedientia mandatorum Decalogi ad ſalutem eſt neceſſaria: nec minùs debet fides eſſe perfecta ac integra, quàm obedientia & obſervatio Decalogi. Sicut ergo obedientia ſe debet extendere ad omnia mandata: ita fides ſe debet extendere ad omnia revelata. Confirmatur, quia *teſte S. Iacobo cap.* 2. *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. Qui enim dixit, Non mœchaberis; dixit &, Non occides;* quaſi dicat, factus eſt omnium reus, & punietur quaſi totius legis violator, quia contempſit ipſum legiſlatorem, qui totius legis eſt auctor. Ergo ſimili modo, qui unum articulum negaverit, etiamſi reliqua omnia credat, factus eſt reus totius fidei & Religionis, nimirùm quia contemnit primam Veritatem Deum, qui non minùs iſtum quàm alios revelavit: contemnit Eccleſiam Catholicam Chriſti ſponſam (quæ eſt *columna & firmamentum veritatis*) per quam nobis non minùs iſtum quàm alios propoſuit. Et hæc eſt ratio, cur non minùs ſit hæreticus, qui unum fidei dogma pertinaciter negat, quàm qui centum. Quia hoc ipſo quòd vel unum negat, contemnit primam Veritatem Deum, qui illud revelavit; contemnit auctoritatem Eccleſiæ, quæ illud propoſuit; facit Eccleſiam ſubjectam errori, & mendacem. Unde etiam de ceteris omnibus incertus redditur, & totam fidem